C. C.

DISPUTATIO INAUGURALIS
De
JURAMENTIS,

Quam
DECRETO AMPLISSIMÆ FACULTATIS
JURIDICÆ
in Inclutâ Leucoreâ
SUB PRÆSIDIO
DN. CHRISTOPHORI VVACKEN, J.U.D. & P.P. Curiæ Provincialis, Scabinatus & Facultatis Assessoris, ut & Illustrissimæ Viduæ Anhaltinæ in Coßwigk/ &c. Consiliarii, Præceptoris & Patroni sui sanctè semper observandi,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE ASSUMENDI HONORES
Publico Eruditorum Examini
submittit
CHRISTOPHORUS Kühn/
Vratislaviâ-Silesius.
ad d. 8. April.
In auditorio Majori, horis ante & pomeridianis.

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
Anno CIↃ IↃ C XLVII.

INCLUTÆ VRATISLAVIENSIUM REIPUB.

PRÆSIDI, CONSULIBUS, SENATORIBUS, SYNDICIS, ET SECRETARIIS,

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, STRENUIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

DOMINIS ET PATRONIS MEIS DEVOTE SEMPER COLENDIS ET OBSERVANDIS.

S & O.



Tſi ſolus Reipublicæ Veſtræ, non à ſecundi tantum ſubſellii Viris, verum etiam Poteſtatibus, celebratus honor, impetrare apud me potuiſſet, ut Vobis tàm formoſi pecoris, formoſiſſimis Cuſtodibus, disputationem hanc meam Inauguralem offerrem dedicaremque; Suberat tamen gravior adhuc perſvadendi ratio, & ut verius dixerim, arctiſſimum quoddam debendi vinculum, quo adeò teneri videbar, ut nullius exceptionis vis me tutum præſtare poſſet ni eandem honori Veſtro conſecraſſem,

ſem. Cum enim In Urbe Veſtra vitalem lucem primùm aſpexerim, juris naturalis ratio & æquitas admonuit me ſemper, quod etiam nulli alii, quã illi ipſi natꝰ eſſem. In quem finẽ ſicut omnes cogitationes meas & actiones intendi hactenus, ita horum meorum conatuum ſpecimen exhibere Vobis qui eandem regitis, decrevi diu. Quod commodisſimè & maximè opportune fieri poſſe videbatur, poſtquam documentum peracti ſtudii Themiſtici dandum erat in publicum. Suſcipite itaque, Patres Conſcripti, illud ſerenâ fronte, & à me in poſterum debitam Reipublicæ Veſtræ, Vobisque inſerviendi promtitudinem exſpectate. Dab. VVitteb. 20. Mart. cIↄ Iↄ XLVII.

VV. Magnif.

Strenuit.

Amplit.

religioſiſſ. Cultor.

Chriſtophorus Kühn

A. & R.

Ad

Eximium Dn. Candidatum,

Convictorem & Amicum percharum.

Dum tellus jam fundit opes, alvumq; repandit,
Dumq; suas Veneres hortus agerq; parant.
En quàm clara tibi consurgit adorea laudis,
quamq;, virens semper nexa corona venit.
Hanc tibi tàm pulchrè merito w . Leucoris offert,
oblatam ut capias, sponte is id omne tua est.
I nunc, atq; ipsum Patria te siste polita,
Nam decet ad Patriam cuncta referre suam:
Et, seu cordatas operas spectata requirit
Curia, seu placeat clara palestra fori;
Seu Spartam tellus forsan peregrina parabit;
Inde tibi, inde aliis commoda mille fluant.

Gottfriedt Suevus
J. U. D. & P. P.

AD EUNDEM.

Umbra Comes rutilo semper spectatur Olympo
solis sectari radios, & pingere terram:
Sic honor excellens susceptos sponte labores
insequitur, studiisq; suum venerabile perquàm
stat decus, & splendor præclari nominis amplus.
Testis eris *Kübni*, dum parcus temporis, omnes
in studiis horas posuisti, protinus ingens
gloria subsequitur, quia libertate docendi
uteris, & summos in Jure lucraris honores
jure quidem. Nunc macte tua Virtute, paterna
se tellus videat te defensore beatam.

Henricus Coselius de
Pezlinovez, J. U. D.

PRÆLOQUIUM.



Um antè Tractationem ipsam præfandum aliquid sit, hujus autem materiæ gravitas & utilitas, unde aliàs Exordia deduci solent, facilè omnium oculos incurrant, præmittam aliquid de quæstione illâ: *An Controversiæ circà Juramentorum doctrinam sint decidendæ ex Jure Canonico vel Civili, quando diversitas inter hæc duo Jura apparet?* Et quidem communitèr Dd. illud præferunt, quod hic agatur de materiâ conscientiam afficiente. Verùm cum nullæ Leges à legitimo Magistratu latæ, modò non contrà Jus divinum, aut publicam honestatem pugnent, absque læsione Conscientiæ violari queant, secundùm expressum Apostoli effatum, *Rom.* 13. *v* 5. ex eâdem ratione semper Jus Canonicum præferendum esset; & ita quoque in iis, in quibus à Jure divino deviat, quod in quamplurimis fieri in aprico est. Quapropter tutior videtur eorum opinio, qui Jus Canonicum non tantùm in hâc, sed etiam aliis materiis præferunt Civili Juri, quando ad Jus divinum propiùs accedit; è contrà verò Civile jus illi, quando Juri Civili cum Jure Divino magis convenit; qualia exempla fortè etiam hic occurrent. Cum verò latissimè pateat Juramentorum doctrina variaque illorum species sint, nec facilè possint tradi Regulæ, quæ omnibus per omnia speciebus conveniant, primò generalia tradam, hinc per spe-

cies descendens pleraque ex Jure Publico, Privato, Feudali & Saxonico Juramenta proponam. Ut autem eò feliciùs inchoare & finire liceat, cum solenni illo pietatis Carmine, sacratissimo nostro Justiniano admodùm familiari incipio:

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI!

PARS PRIOR.

TITULUS PRIMUS. DE DEFINITIONE JURAMENTI.

Sicut uniuscujusq; rei duplex datur definitio; una, quæ nomen; altera, quæ ipsius essentiam interpretatur, ita etiam Juramentorum. Præstat autem de nominis definitione agere prius, cum indè eò feliciùs provehamur in cognitionem ipsius rei, eandem per suas caussas examinaturi.

§ 1. Dicitur autem Juramentum à *Panormitano ad Rubr. X. h. t.* quasi Juris adstringimentum, satis benè ratione finis, cum Juramenta interponantur, ut jurantis fidem magis adstringant non verò ratione ipsius vocabili, quod rectius à verbo JURO derivatur. *Setser. d. Juram. 1. n. 2.*

§ 2. Vocatur Juramentum sæpissimè etiam JUSJURANDUM *arg. Rubr. ff. & C. h. t.* non observatâ distinctione illorum, qui Juramentum dicunt esse, quod super re non controversâ; Jusjurandum verò, quod super re controversâ interponitur. Illud enim Justinianum jam neglexisse argumento est, *l. penult. C. h. t.* Insuper etiam exemplum occurrit contrariũ, in *l. 34. §5 ff. h. t.* Interdùm vocatur SACRAMENTUM. *Auth. Sacramenta Puberum C. si adversus venditio. c. 11. Caus. 22. Q. 4. & passim.* DEJURIUM *ap. Gell. 7. N. A. 18.* Præpositione DE augendi caussâ addita,

tâ, ut in DEPOSITUM. JURISJURANDI RELIGIO, *l. 2 C. h. t.* & simplicitèr RELIGIO, *l. 25. & seqq. ff. h. t.* Germanicè, Eyd/ Schwur/ Eydschwur/ Setser. *ibid. n. 3. & seqq.* apud quem etiam rationes harum appellationum invenies.

§ 3. Definitio Realis hæc esto: JURAMENTUM EST AFFIRMATIO SUB INVOCATIONE NOMINIS DIVINI FACTA.

§ 4. Loco generis ponitur vocabulum AFFIRMATIO, quo etiam negatio virtualitèr comprehenditur; qui enim jurat se hoc non fecisse, affirmat intentionem suam, etiamsi formula verbis negativis sit concepta. Sets. *d. l. n. 10.* Ideò Hostiens. & Corset. allegati à Beust. *d. l.* non opus habuerunt duplici genere, Ille: est ASSEVERATIO vel NEGATIO, hic: ASSERTUM vel NEGATUM.

§ 5. Verba SUB INVOCATIONE NOMINIS DIVINI differre faciunt Juramenta à simplicibus affirmationibus & illis Juramentis, quæ fiunt sub invocatione aliarum rerum divinarum & religiosarum, quæ legitima Juramenta non sunt, ut patebit infrà ex Tit. 6. Reliquæ definitiones, quæ referuntur à Beust. *loc. alleg.* caussales potiùs sunt, quam essentiales.

TIT. II.

DE DIVISIONE JURAMENTI.

Dividitur Juramentum in JUDICIALE & EXTRAJUDICIALE cum *Tr. 1. 21. t. B.* Setser. *l. d Juram. 3. num. 5.* Vulgata divisio Dd. in PROMISSORIUM & ASSERTORIUM cum nostrâ in effectu convenit, aliàs termini nimis strictè accipiuntur.

§ 1. JUDICIALE juramentum illud appello, quod ad caussam controversam in judicio adhibetur. EXTRAJUDICIALE, quod extrà Judicium interponitur. Et quidem super caussâ non controversâ. Apparet itaque terminum JUDICIALE hìc latius patere ac in *Rubr. ff. h. t.* ubi strictissimè accipitur pro Juramento quod in judicio parti à parte defertur, *l. 25. & seqq. ff. h. t.*

ita ut Necessarium, Voluntarium & alia Juramenta in Judiciis usitata excludantur, quæ tamen unius generis secundùm explicationem propositam sunt.

TIT. III.

DE CAUSSA EFFICIENTE JURAMENTI.

Hæc est Remota & Propinqua.

§ 1. Remota est Jus, quo Juramenta introducta. Quod Civili *arg. tt. ff. & C. d. Jurejurand.* Canonico *argt tt. x. & in 6to eod.* passimque factum est. Nec Jure Divino prohibitum, sed potius injunctum, quia DEUS ipse in dubiis juramentum interponere jubet: *Exod. 22 v. 11* Ipse juravit *Gen. 22. v. 16* & passim. Idem quoque Christus fecit *Joh. cap. 14. v. 12.* Paulus *2. Corint. 1. v. 23.* In eo autem quod *Matth 5 v 33 34. & seqq.* habetur, Christus prohibet perjurium, quod committitur jurando per alium ac per DEUM ipsum, tùm etiam temerè & sinè justâ causâ jurando. Quod satis demonstrat scopus Salvatoris, maximè antecedentia exempla, quemadmodum hoc explicat *Innocentius cap. 26 x. b. t.* Videatur è Theologis *Thummius de Juramentis pag 9. & seqq. ex nostris Setser. 1 de Juram. 2, Hillig. ad Don. 24. C. 13. C.*

§ 2. Propinqua est Voluntas tùm illius qui Juramentum exigit tùm qui jurat. Quæ variè pro diversitate Juramentorum intervenit, quemadmodum patebit ex iis, quæ ad singulas Jurisjurandi species dicemus. Necessariò autèm voluntas adesse debet maximè à parte jurantis. Hinc inter tres Comites Juramentorum quos ex *cap. 4. Jerem.* deducit *Hieronymus c. 2. Caus. 22 Q. 1.* Judicium quoque refertur. Quæ Voluntas cum etiam in iis, qui justo metu coacti jurant, deprehendatur *arg l 21 § 5 ff. Quod met. caus.* optimo jure dicemus tale juramentum esse validum contrà illos, qui ex generalitate *c. 25. x. b. t. & Auth. Sacramenta Puber. C. si advers. vendit.* illud ipso jure nullum esse affirmant. Quia tamèn æquum non videtur, immò contrà bonos mores esse di-

se dicitur *in l. 116. de R. J.* ratum haberi id, quod ex coactâ voluntate proficiscitur, ideò contrà hoc juramentum, de Jure Civili jurans in integrum restituitur ex capite quod metus caussâ; in cujus restitutionis locum de jure novissimo per ea quæ dicemus infrà *part. I. tit. 10. §5.* successit relaxatio, quoad effectum agendi. De jure verò Canonico Absolutio indulgetur *cap. 8. cap. 15. x. h. t.* & de observantiâ testatur *Gail. 2. Obs. 42.* Vide Rauchbar. *2. Q. 4. per tot.*

§ 3. Simile Judicium esto de Juramentis, ad quæ præstanda dolo aut errore inducimur. In quibus etiam major ratio, cum deceptus planè non consentiat *l. 4. § 3. ff. d. Transact.* & error consensum prorsus non habeat *l. 15. ff. d. diluct.* quod sequitur quoque *Const. Elect. August. part. 2. c. 35.* Et de usu Cameræ tradit *Mynf. 3. Obs. 59.* Vid. *Sets. 1. de Jurám. 23.*

TIT. IV.
DE SUBJECTO JURAMENTI.

Quod constituunt Personæ, quæ Juramentum licitè exigere possunt, ut & præstare.

§ 1. Exigit illud vel Magistratus à Subdito, vel etiam Subditus à Subdito, & contrà, diverso tamen respectu ratione diversarum Juramenti specierum, quemadmodum ex parte speciali patebit.

§ 2. Jurant autem omnes, qui non prohibentur, qualis est furiosus, cum non habeat animum *l. 1. § 4. ff. d. acquir. p. ff.* judicium *l. 12. § 2. ff. d. Judic.* cui consimilis quoad hunc effectum mente captus est ob identitatem rationis, licet aliàs differant *arg. § 3. & 4. J. d. Curat.* quorum tamen juramenta præstita cum adhuc sanæ mentis essent omninò valere arbitramur *arg. § 1. J. Quib. non est permiss. facere testam.* idem est si dilucida intervalla habentes in iis juraverint *arg. d. text.* quia his duobus casibus cessat ratio, quæ aliàs eos à jurando arcet.

§ 3. Prodigos, illi quos citat *Sets. de Juram. 5 n. 3.* indistinctè admittunt ad juramentum. Alii indistinctè eos removent, quos

vid. *ibid. n. 8.* quia quoad bona furiosum faciant extum *l. 2 ff. de tut. & Curat. dat. ab his.* Nobis placet media opinio; Prodigum jurare posse super illis actibus qui bonorum alienationem secum non trahunt, e. g. juramentum fidelitatis subjectionis deponere; Ratio: quia bonorum administratio interdicta ipsi tantum est. Secus verò si contractum in quo de alienatione bonorum agitur, juramento firmare voluerit. Siquidem quoad alienationem bonorum furioso prorsus æquiparatur. Unde Juramentum Judiciale vel Voluntarium deferre prorsùs non potest. *l. 35. § 1. ff. h. t.* multò minùs deponere.

§ 4. Ebrius quoque secundùm plerosque non rectè jurat, quod & in isto corruptum animi judicium sit, & ita secundùm Juramentorum comite Juramentum ejus destituatur. Unde hodiè ex dispositione *c. 16. Caus. 22. Q. 5.* juramenta à jejunis recipiuntur: Nescio tamen an non etiam hîc cautela adhibenda sit iis, quibus vinum omnes animi sensûs non ademit. Hi enim cum ex delictis quoque obligentur per *Dd. alleg. ab Harp. ad § ult. J. de injur. num. 16,* Cur non etiam ex promissione juratâ obligabuntur?

§ 5. Iratorum etiam Juramenta non valere *in l. 2. C. ad L. Jul. Majest.* rescriptum est, sicut generalitèr nihil quod calore iracundiæ prolatum est. *l. 48. de R. J.* quia & his animus deest, secundum illud:

impedit ira animum, ne possit cernere verum.

§ 6. Ob quam rationem jurare quoque non posse Infantes decisum *in cap 14. Caus. 22 & 1.* Pupilli verò, si pupertati proximi sunt, admittuntur quidem ad jurandum, *l. ult. ff h. t. l. 44. § 2. ff. de liberal. caus.* Non tamen coguntur jurare. *c. 13. Caus. 22. Q. 5.* Minores a. rectè ex juramento obligantur. *Auth. Sacram. Puberum C. si adv. vend.*

§ 7. Filiusfamiliàs cum obligetur regularitèr sicut Paterfamilias *l. 39. de O. & A.* obligabitur quoque ex jurejurando magis. Cum verò à Regulâ excipiatur Votum *l. 2. § 1. ff. de Pollicitat.* & Mutuum *tt. ff. ad SC. Maced.* in quibus tantum consensu patris obligatur, per cōsequens nec juramento Votum & Mutuum validabit. Sicut etiam beneficio dicti SCti Macedoniani renunciare

ciare jurato haut poteſt, cum introductum ſit in favorem Patris quoque. *arg.* § *7. l. Quod cum eo qui in alien. poteſt.* In præjudicium vero tertii interpoſita Juramenta non valent *c.28.x.b.t. Setſ.1. de Juram.13 n.17.*

§ 8. Alius pro alio jurare non poteſt, *argum. auth. Sacram. puber. C. ſi adverſ. vendit. ibiq; verbo Rerum ſuarum à Contrario ſenſu Don.21. C.13. L.ibiq; Hillig.* non ſecus ac in aliis obligationibus, quæ inventæ ad id, ut unusquisq; acquirat ſibi quod ſuâ intereſt. *§ 19. J de inutil. ſtipul.* Per procuratorem tamen ſpeciale ad hoc mandatum habentem juramenta præſtari poſſe docemur, *ex c. ultim. de Jurament. calumn. in 6to. l. 9. § 6. ff. hoc tit.* qui in animas principalium jurant. *c. 2. de Teſt. in 6to.* Excipiuntur Caſus nonnulli, ubi quis in propriâ perſonâ jurare tenetur, quorum aliquot vide ap. *Setſ.1.de Juram.14. num.27.* Quid verò de Jure Saxonico? De quo *Beuſt. ad l. Nam poſtea quam § jusjurandum n. 11. dicit*, quod admittatur Procurator. Alii, quos ſequitus Rauchbar. *1. Q.8. n.10.* & nos cum, rectiùs contrarium defendunt per artic. 46. *v.* Wo aber den Frauen / *&c.* Landr. *lib. 1.* Et quod hoc loco de fœminis diſpoſitum Auguſtus *1. C.13.* ad Collegia univerſitatesq; extendit, & ultimo loco ad omnes *Ordinatio Utriusq; Judicii Curialis tit.* Wenn ein aufferlegter Eyde. Quod extendit *Berlich. part.1. Concl 31. n. 16. & ab ipſo allegati* ad perſonas egregias quoq; & illuſtres: cui cum *Rauch. d.l.* ſubſcribo quoad territoria Electoralia, non verò ubi jus commune in uſu eſt; in iis enim ſecundùm *art.42* Landr. *lib.2.* ejusmodi perſonæ non coguntur jurare in propriâ perſonâ.

TIT. V.
DE MATERIA JURAMENTI.

Juratur autem rectè ſuper rebus quibuslibet, modò honeſtæ & licitæ ſint, ſiquidem Juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis *c. 58. de R. J. in 6to. Weſenb. in* π. *b. t. num.5.*

§ 1. Hinc infertur Juramentum quod ſuper actu Juri divino contrario interponitur nullum eſſe. *c.19 Cauſ.22. Q.4* ita David non implendo juramentum, quo Nabal mortem juravit; à pieta-

pietate laudatur c. 3. *Caus. 22. Q. 4.* & Cives Romani contrà Imperium militantes mandatis avocatoriis citati juxtà *Const. Pac. Publ. Carol. V. sub tit.* Von Mandaten des Cammer-Gerichts Imperatorem cui militant, deserunt sine perjurii metu, etiamsi Sacramentum militiæ præstiterunt. *Setser. 1. de Juram. 17. num. 15.*

§ 2. An verò juramento confirmari queat negocium jure mero positivo Civili prohibitum, variæ sunt opiniones. Allegati à *Setser. 2. de Jum. 3. n. 3.* dicunt, ipsum quidem negocium non confirmari, juramentum tamen esse servandum: Verùm cùm juramentum servari non possit, nisi simul præstetur illud, quod juramento est promissum, videmus omninò, etiam ex eorum distinctione fluere ipsum negotiũ firmari. Quapropter optimè aggregari poterũt illis, qui affirmãt, tale negociũ omninò juramento firmari, quod faciũt alleg. *à Setser. ibid sub fin.* quos ipse sequitur, Cui probando adducunt *c. 28. X. h. t. & c. 2. de pact. in 6.* Alii verò indistinctè negant, quorũ opinionẽ tuetur *Don. 21. C. 13.* tùm ex *l. 5. C de L. L.* tùm ex Jure divino ad *Rom. 13. v. 2 & seqq.* & *Mynsing. 6. Obs. 62. num. 4.* in hanc rem hoc Molinæi affert judicium: *Stulti Canonistæ injuriam faciunt DEO, qui est Veritas & Charitas, dum prætextu nominis sui & juramento iniquas conventiones adversus justas Leges tueri volunt.* Ne tamen dissensio Juris Civilis & Canonici absque sufficienti caussâ inducatur, putamus ita temperari posse hanc assertionem, ut distinguamus inter negocia quæ confirmari debent. Aut enim prohibita illa sunt ratione publicæ utilitatis, quæ juramento minimè confirmari posse Canones concedunt *c. 12. X de for. compet.* Aut prohibita sunt favore tertii, nec ista juramento firmari Canones concedunt *c. 1. X. h. t.* Aut denique prohibita sunt in favorem jurantis, ut in casibus *c. 28. X. h. t & c. 2. de pact. in 6.* Ubi videndum an negocium ita prohibitum sit, ut nec juramento confirmari queat. Ita prodigus nullum cotractum alienationem bonorum secum trahentem celebrare potest, nec eundem juramento confirmare, per ea quæ *tit. præced. § 3.* dicta sunt. Quo casu Donelli opinio verior & æquior: Aut simpliciter prohibitum est, & tùm juramento firmari posse duobus exemplis, uno ex Jure Civili, altero Saxo-

nico,

nico, demonstramus. Jure Civili prohibita est minor bes... rum suarum alienatio *tt. ff. de reb. eor. qui sub tut. &c.* quam tamen si minor juramento firmaverit validam esse Imperator *in l.1 C. si adversf. vendit.* rescribit. Item Jure Civili renunciare filia hæreditati paternæ haut potest *l.3. C. de Collat.* quod sequitur Jus Saxonicum *Const. Aug. 35. p. 2.* quem textum mala accipi & prædicari tradit *Berlich p.2. Concl.43* nihilominus si juramento vallata fuerit renonciatio, valebit *d. Const. 35. ibi ʃ. Moller.*

§ 3. Insuper requiritur, ut gravis res sit, non levissimi momenti super quâ jurandum est, *per supra citat. Matth. loc.*

§. 4. Item debet esse certa res, cum de incertis nullam possimus habere determinatam veritatem, multò minùs juramentum.

TIT. VI.
DE FORMA JURAMENTI.

Forma Juramenti alia Essentialis est alia Accidentalis.

§ 1. Antè omnia observandum, ut eo modo juramentum præstetur, quo ille qui juramentum exigit, desiderat *l.3. § ult. l.4. & 5. ff. h. t.*

§ 2. Modò ita exegerit, ne incurrat religionem publicè approbatam *l.5. § 3. ff. h. t.* Hinc cum DEUS per suum nomen jurare solum nos jubeat *Deut. c.6. v. 13. c.10. v.20.* meritò receptum est, ut in nomine DEI tantùm juretur, de quâ observantiâ testatur *Wesenb.* Π. *h. t. n. 6.*

§ 3. Quid verò de formulâ: ET SANCTUM EJUS VERBUM cujus mentio *in c.4. h. t. & ordinat. Camer. part. 1. cap. 57.* Cui consimilis est: ET SANCTUM EJUS EVANGELIUM. Quam *Wesenbecius.* Π. *hoc tit. num. 6.* licitam esse rectè affirmat, modò eam de Evangelio sive verbo personæ non verò litteræ interpretemur. Quod licet non admittat *Balduin. in Cas. Consc. l.2. c.9.* ideò, quod Papicolæ eam potiùs de verbo literæ intelligant, poterit tamen licitè ita jurari, modò addatur explicatio genuini intellectûs. Et ita etiam adhuc hodiè Electores Protestantes jurare antè Electionem Imperatoris testis est *Dn. Carpz. de*

L.R c.11.ſ.9. n.18. & pro genuinâ agnoſcunt illam Bey dem Wort der Ewigen Wahrheit/ Gai Saxonici in deciſionibus *part.*. *Q. ſit.* Quam quoq; non rejicit *Lutherus in Enarrat. ſecundi præcept. Mynſ. Cent. 3. Obſ.17.*

§ 4. Econtra rejicimus Juramenta per Mariam & Sanctos Archangelos, quale præſcribit Imperator Magiſtratum ineuntibus *N.9.* cum jam damnatâ dudum ſint à priſcis Canonib. *c. 26. X. b.t.* Item per Sanctos: cujus formulæ mentio fit *in tit.2.A.B.* quam etiam contrario uſu abrogatam eſſe tradit *Dn. Carpz. ad L.R. cap. 11. ſ.9. n.9.* Multò magis illa, quæ fiunt per afficta DEO membra, ut per Caput & Capillos DEI *per N.77. cap 10. Cauſ.22. Q 1.* Uti & illa, quæ fiunt per alias creaturas, quorum etiam in jure mentio fit: Per caput jurantis *l. 3. § ult. ff. b.t.* per filios ejusdem *l. 4. cod.* per genium Principis *l. 2. C. b.t.*

§ 5. Notandum hic eſt, ſtatuere nonnullos poſſe quod; jurari per Creaturas ad DEUM Creatorem Creaturarum relatas. Ita juravit David per animam Jonathæ *1. Sam.20 v.3.* Eliſæus per animam Eliæ *2. Reg.2. & 4.* Quanquam rectiùs ſentire videantur illi, qui has formulas non pro juramento propriè ſic dicto, ſed pro aſſeveratione aliquâ vehementi accipiunt, apud Rauchbar. *pa t.2. Q 2. n.47.*

§ 6. Secundò notandum, Judæo fruſtrà deferri Juramentum Chriſtianis uſitatum, cum ſine dubio ſit pejeraturus, ideò alia formulâ opus, quam etiam præſcriptam habet *in Ordinat. Camer. p.1. t 86* & peculiarem ſolennitatem vide im Richtſteige Landrechts *cap.5.* quam etiam adhuc hodiè in patriâ meâ practicari novi.

§ 7. Similiter non audiendus Turca aliusq; incredulus est qui per DEUM Chriſtianorum jurare volunt, ſed per DEUM ſuum jurare debent, taleque juramentum recipi poſſe, ſi non reſpectu cauſæ formalis, tamen finalis, docet Sacra Scriptura exemplo Abrahami juramentum Abimelechi in nomine DEI ficti ei acceptantis *Geneſ. 21. v. 23.* vid. *cap.16. Cauſ. 22. Qu. 1.*

§ 8. Accidentalis conſiſtit in tactione Evangeliorum, cujus ſolennitatis in jure noſtro crebra fit mentio *l. 27, C. de Epiſc. audient.*

audiunt. plura loca vide apud *Hilliger 24. C.21. Z.* Quem morem damnat prorsus *Donell.21.C.13.B.* eumque sequitur *Seifer. 1. de Juram.15. nu.7.* Sed sine causa. Cum enim nihil superstitionis contineat, sed ideò fiat, ut meminerit jurans judicii & iræ divinæ, non video cur adhiberi non possit; Quod etiam concedit rursus *Donell. 24. C. 21. Z.* & ideò mos iste etiamnùm hodiè rectè observatur, non quidem ut essentialis pars, sed tantum accidentalis (quippè etiam abesse potest) juramenti, ut rectè monet *Ayrer Process. p. 1. cap. 6. Obs. 5 num. 7.* Circà quem ritum tamen distinguendum est inter Laicos & Clericos; illi enim tactis Evangeliis; hi verò propositis tantùm iisdem & manu ad pectus apposità jurant. *Nov. 123. cap. 7. c ult. X. de Jurum. calumn.* Cujus rationem hanc addit *Duar. ad b. t. cap. 11.* jucundiorem forte quàm veriorem: *quod Episcopis nostris ut sunt mores seculi sufficiat juxtà se habere posita Evangelia, etiamsi non legant ea, nec attingant quidem.*

§ 9. Usurpatur quoque erectio manus, quæ etiam in populo DEI usitata fuit, per ea, quæ prolixè tradit *Seifer. 1. de Juram. 15. num. 8. & seqq.* Non autem totius manus, sed secundum communem Stylum Indicis & Medii digiti; licet alii pollicem adjungant. Rationes pete à *Seifer. loc. alleg.* Fœminæ autem digitos eosdem pectori sinistro applicant, more tracto à priscis Alemannis referente *Petro Gregorio Tholos. Syntagm. Jur. l. 50. c. 8. num. 30.*

§ 10. Inter accidentalia referimus quoque imprecationes, quarum memorabile Exemplum habemus *in Nov. 9.* Wesenbecius quidem *in π. h. t. n. 2.* quem sequitur *Seifer. 1. de Jurament 1. n.13.* eas pro essentiali habet, minùs rectè, cum usus quotidianus illud refutet, nisi dicere velimus eas implicitè unicuivis juramento inesse, *Bach. in not. ad d. Wesenb. loc.*

TIT. VII.
DE FINE JURAMENTORUM.

Finis generalis est fidei & Veritatis Confirmatio, qui variè per varias Juramentorum species obtinetur.

TIT. VIII.

DE EFFECTU JURAMENTORUM.

Generalis Juramenti Effectus est, quod obligat Jurantem ad præstandum id super quo juravit. An verò quodlibet Juramentum Civilem producat obligationem variè disputant Interpp. *Wesenb. in* 11 *ff. h. t. n. 5.* de omni juramento affirmat. *Bachov. in not. ibid.* & *Setser. 2. d. juram.* 1. concedunt illud de Juramento Judiciali, non verò promissorio. Placet autem mihi Wesenbecii opinio, cum quo infallibile potest induci argumentum ex *l. 41. C. de Transact.* in quâ habetur, quod Pactum nudum Juramento confirmari possit, ita ut præstandum necessariò sit, quod illo pacto est promissum. Quæ obligatio non vi pacti, quod nullam producere obligationem potest, *l. 7. § 4. ff. de Pactis* producitur, E. Juramento. Ad *l. 56. ff. de Fidej.* satis benè respondet Wesenbecius ipse. Comparationem verò Juramentorum cum pactis, quam adeò urget *Setser. loc. alleg.* admittimus quoad alia, non verò quoad hunc effectum, nisi plenius *Setser.* suam intentionem probaverit.

§ 1. An verò duplex oritur Obligatio, DEO altera, & quidem primaria, altera verò parti? Ita sentiunt quidem *Hillig. 21. C. 13. P. torg. allegati:* Sed meritò de eo dubitari potest, quod una ea obligationis caussa tantùm sit. Et quanquam concedendum sit duplicem oriri obligationem, ita tamen ab invicem dependent, ut illa, quam DEO fieri dicunt, nullo modo subsistere potest absque alterâ. Quod probatur rectè ex eo Dd. quandò tradunt Juramentum remittere DEUM, remittente parte. *Mynsing. 6. Obs. 52. num. 2.*

§ 2. Qualis verò ex hâc obligatione dabitur actio? *Setser. 2. de Juram. n. num. 5.* dicit nullam actionem denominari posse, quæ oriatur ex hoc Juramento nudo promissorio. Sed si censurâ

Eccle-

Ecclesiasticâ quam ex *c. ult. de for. compet. in 6.* Serser ipse concedit, cui in Jure Civili consimile est Officium Judicis, non sufficit, nulla nobis religio erit concedere condictionem ex Lege, cum hic adsint causæ illius Actionis. Nova Obligatio, ac defectus alius actionis. Quandò verò juramentum super contractu aliquo interponitur, ibi habere potest locum actio ex illo contractu descendens. Ita in Casu *l.1.C.Si advers.vendit* minor poterit conveniri actione emti.

§ 3. Quis autem competens Judex quandò ad observationem Juramenti agitur? Jus Canonicum *in c.ult.de for.compet.in 6.* Judicem Ecclesiasticum pro competente agnoscit. Quod tamen hodiernus usus haut comprobat, quo hæc causa etiam apud secularem tractari potest, *arg. Ord.Camer.p.2.c.24.* & *Const.August. part 2 C 56.*

§ 4. Plures Juramentorum Effectus recenset & examinat *Serser.l.de Juram.28 per tot.* quem adi.

TIT. IX.

DE CONTRARIIS JURAMENTORUM.

Contraria Juramento præprimis sunt Perjurium, & à juramento absolutio.

§ 1. Perjurium dupliciter committitur. [1.] non legitimè jurando, ut per res vetitas. Quomodo Pharisæi jurârunt, de quibus Christus *Matth.5.* in quam rem textus elegans est, *cap.10. Caus.22 Qu 5.* [2.] Quando quis non observat illud quod juramento promisit.

§ 2. Ut autem perjurium committatur, necessariò dolus requiritur, *arg.l.26.ff.h.t.* Undè perjurus non est, qui ex justâ aliquâ causâ juramento contravenit, *l. ult ff.qui Satisd.cog.* Qualis Causa est, si quis jurâsset certo die solvere, & prorogato per Creditorem termino non solveret. *Mynf.6.Obs.52.* aut etiam solvere non posset paupertate justâ prapeditus, *Beust.ad l 1 ff h.t.n 20.*

§ 3. An autem Perjurii pœna aliqua sit? videndum. Et quidem de Jure Canonico expedita res est, quo perjuri notantur infamiâ, *cap.7. Caus.22. Qu 5.* Ut & de Jure novissimo ex

Constitutione Carolinâ, *art.* 107. & 108. quâ, in causâ civili, bona perjurio quæsita restitui debēt, perjurus insuper infamiâ notatur amputatis digitis, quibus juramentum præstitit; in Criminali verò eandem pœnam sustinet, quâ debebat affici contrà quem juravit. De Jure Justinianéo res maximè controversa est. Placet illorum opinio, qui dicunt, etiam illo jure fuisse punitum perjurium, licet de certitudine pœnæ ob varietates LL. non constet, quod probamus *l. 2. in fin. C. de indict. viduit. tollend. junct. l. ultim. ff. Stellionat. L. 2. C. h. t.* cum *Ungep. Ex. 15. Qu. 3.* ita intelligi potest de Juramento calore aliquo præstito, ne illatio quæ in versiculo *Periculum* habetur regulæ terminos excedat.

§ 4. Absolutio, alterum Contrarium, est a Juramenti Relaxatio, de quâ habetur *in l. fin in pr. ff. ad Municip. Ordinat. Camer. p. 2. cap. 24. Const. August. p. 2. C. 38* & in Jure Canonico passim. Quam contumeliosam in DEUM vocat *Hillig 21. C. 13. T. 2.* sed *rectè.* per *c. 7. X de voto.* Sed quemadmodum ibi de votis, non de omnibus; sed quæ licitè observari possunt, agitur; ita ad hanc Juramentorum materiam non trahendum, per rationem, quæ desumi potest ex differentiâ Votorum & Juramentorum, de quâ *in pr. tit. seq.* Remanet itaque, Juramenti relaxationem nihil impii fovere, modò justa adsit absolvendi causa, & fiat ab eo, cui hæc competit potestas: Et ita sentire quoque videtur *Thumm. de Jurament. p. 120. in med.*

§ 5. Tribuunt autem hanc potestatem Leges Civiles Imperatori *arg. l. fin pr. ff. ad Municip.* Canones vero indistinctè Pontifici *cap. 13. X. de Judic. in fin.* Quæ sententiæ fortè ita comparari possunt, ut quoad effectum agendi hoc seculari Magistratui concedendum, quod sequitur etiam *Ordin. Cameræ p. 2. tit. 24.* quoad vinculum verò, quo se jurans DEO obstrinxit Jus Canonicum potest observari. Cui distinctioni lumen peti potest ex *Constit. August. p. 2. C. 36* in quâ in principio Relaxatio Juramentorum permittitur Judici Ecclesiastico, in sequentibus verò relaxationem ad effectum agendi ad se trahit Augustus. Quod posterius licet *Hillig. d. l.* de nudâ aliquâ declaratione, an juramentum licitum sit nec ne, intelligat, refutatur tamen ex ipsis Constitu-

stitutionis verbis ibi: Wie weit die Relaxation des Eydes statt habe.

§ 6. Rationes verò, ob quas Relaxatio fieri possit has agnoscimus: Errorem, Dolum, Vim, *argum. auth. Sacram. pub. C. si adv. vendit. cap. 28. X. h. t.* Quae Juramenta summo quidem jure tenent, quia tamen justitiae & aequitatis ratio eum defendit, qui errore aut dolo inductus, aut etiam vi compulsus jurato aliquid promisit per ea quae dicta sunt, *tit. 3. § 2. & 3.* ideò à tali juramento absolutio licitè petitur & conceditur. Non autem indiget absolutione juramentum super negocio illicito praestitum, quod cum nullum sit per suprà dicta *tit. 5. pr. & § 1.* non opus quoque habebit absolutione, non obstante *cap. 12. § fin. X. h. t.* in quo agitur de absolutione à peccato quod ille commisit, qui super tali negocio juravit. Quanquam enim juramentum non teneat, non tamen absque peccato factum ab eo est, qui juravit. Ita *in cap. 4. Caus. 22. Qu. 4.* David peccâsse dicitur, quandò juravit Nabali mortem, licet juramentum ipso jure nullum fuerit.

§ 7. An autem ad relaxationem Juramenti Citatio partis necessaria? ita autumat *Gail. 1. Obs. 22. n. 3.* quia Causae Cognitio requiritur *d. Constit. August. 36. part. 2.* Sed in contrarium recedit *Mynf. 6. Obs. 84.* Cui accedimus cum illâ limitatione, quam habet *Moller. ad d. Const. n. 8.* & ipse *Gail. d. n. 3.*

TIT. X.
DE AFFINIBUS JURAMENTI.

Conveniunt cum Juramentis sequentia.

§ 1. VOTA, de quibus *t. t. X. de Votis.* Differunt tamen, quod Vota DEO fiunt nullo partis respectu, secus ac in Juramentis fit.

§ 2. Verborum Obligatio. Undè plurimi Dd. in eâ sunt opinione, quasi ex juramento, quo libertus patrono operas promisit, cujus mentio fit *in l. 7. pr. ff. de Oper. Libert.* nata sit Verborum obligatio. Quibus accedimus eo casu, quando patronus stipulando praeivit, libertus verò mediante juramento respondit, quia adsunt

adsunt essentialia illius obligationis, de quibus *in pr. I. de V. O.* Cum vero libertus etiam promittere operas possit, nulla praevia patroni stipulatione, quâ sine verborum Obligatio consistere haud potest. *d. text.* ab illorum opinione recedimus cum *Bern. Dec.10 Qu.2.*

§ 3. Praestatio FIDEI, de quâ *in c. X. b. t. & cap. 3. de his quae vi met.* Quam pro vero Juramento non agnosco, per allegatos textus, ubi expressè separatur a juramento. Unde qui sub hâc fide aliquid promisit, non incurrit perjurii poenam, etiamsi id non praestiterit. Quod etiam in Camerâ ita practicari Gail. asserit *2 Obs. 59.*

§ 4. Hinc facilis decisio, quid tenendum sit de illa formula Bey Fürstlichen / Gräflichen vnd Adlichen Ehren / Trewen vnd Glauben. Licet enim eam pro vero Juramento accipi plurimi negati ab *Hillig. 24. C. 5. Q.* Nobis tamen placet opinio Wesenbecii qui *ar. h. t. n. 14.* contrarium asserit per rationes quas ibi habet. Et de observantiâ quoad has regiones testatur, *Rauchbar d. l. 13.* licet quoad Cameram contrarium habeat *Myns. Obs. 17. Gail. Obs. 59.* Quos tamen ritè exaudimus ita, ut quidem aequiparetur Juramento, non tamen quoad omnes effectus maximè perjurii, quod etiam tacitè concedere videtur. *Myns. d. l. n. ult.*

§ 5. Sicut etiam formula An Eydesstatt minimè pro sufficienti potest agnosci, Ubi verum juramentum requiritur contra *Rauchb. p. 2. Qu. 2. n. 59.*

PARS POSTERIOR.

CONTINUATIO SEQUENTIUM JURAMENTI SPECIERUM.

TRadita suprà *tit. 2.* generalis divisio est Juramenti in Judiciale & Extrajudiciale, quam divisionem jam per Species exequar. Visurus primò de isto, cujus tria, ut sic dicam, individua pertractabo Imperatorium

in

in tit. 1. Subjectionis *in tit.* 2. Fidelitatis *in tit.* 3. Judiciale verò secundùm personam judicis & partium ex quibus constat Judicium, in quo hoc Juramentum solet interponi, considerabo. Et primò Juramentum Judicis, de quo *in tit.* 4.; deinde Juramenta partium, quæ interponuntur, vel gratiâ solius religionis, ut Juramentum Calumniæ, de quo *in tit.* 5. vel litis decidendæ causâ, ut Juramentum purgationis, de quo *in tit.* 6. Necessarium, de quo *in tit.* 8. Judiciale in specie sic dictum, de quo *in tit.* 9; vel rei in litem deductæ taxandæ ergò, ut Juramentum in Litem, de quo *in tit.* 10. & Juramentum Minorationis, de quo *in tit. ult.* Ita tamen ut Juramenta minùs nota, puta Juramentum Protectionis, Malitiæ, Testium &c. loco affinium sub iis Juramenti speciebus cum quibus aliquam affinitatem habent sim indicaturus.

TITULUS PRIMUS.

DE JURAMENTO IMPERATORIO.

Hoc Juramentum ideò Imperatorium appello, quod ab eo, qui in Imperatorem Romanum electus, & ad gubernationem imperii admovendus est, soleat præstari.

§ 1. Definitio. Est Juramentum quo se ille qui in Imperatorem electus est, obstringit ad observationem eorum omnium, quæ in Capitulationibus continentur. *arg. § penult. Capit. Imper. Ferdinand. III.*

§ 2. Divisionis locum subeat, quod Imperator duabus vicibus jurare tenetur, 1. statim ac electus est, 2. quando inauguratur *Dn. Carpz. ad L.R. cap. 1. s. 9. n. 1. & 7.* quod tamen posterius juramentum nuda tantùm recapitulatio prioris est, cum summa velut Capita illius contineat.

§ 3. Caussa Efficiens remota. Hæc jurandi necessitas longâ consuetudine introducta est, de quâ testatur Jus Saxon. *Landr. lib 3. art. 54 ibi*: Alls man den König wehlet / so soll Er dem Reiche Hulde thun vnd schweren' ad quem locum gl. hunc jurandi morem deducit à tempore Caroli Magni; eum tamen antiquiorem esse patet ex iis quæ *Dieter de Summ Summ. Imper. potest* §. 74. refert: Trajanum nimirum jam jurasse.

§ 4. Caussa Efficiens Propinqua. Suscipitur & præstatur hoc juramentum conventione sive pacto, *pr. d. capit sub fin. ibi*: Das wir vns demnach aus freyem gnädigem Willen / mit denselben vnsren lieben Neven / Oheimen vnd Churfürsten dieser nachfolgenden Artickul geding vnd pactsweise vereinigen &c. Quod tamen *Lampadius de Constitut. Imper Rom. Germ. part 3. cap. 2. n 11.* quoad verba magis quàm rem ipsam verum esse asserit, quia inanis sit conventio; *de re meâ tibi indeb tâ non dandâ*. Sed rectè responsum ipsi est *à Dn. Fiebig. in Electorum Juris Publici Semid. c. 6. Q. 4. & Semidec. 7. Qu. 1.* Omninò hîc agi de re debitâ non danda; quippe limitatur Capitulatione potestas quam per Electionem in ipsum contulerant.

§ 5. Recipiunt hoc Juramentum Electores nomine Imperii, cujus in constitutione Romani Imperatoris vicem sustinent. *pr & § penult. d capit.* Præstatur verò ab illo, qui jam in Regem Romanorum est electus *d. l.*

§ 6. Capita, in quæ jurat, videri per totam Capitulationem possunt. Circâ quæ videndum: Annon hoc juramentum ipso jure nullum? Ita videtur primâ fronte. Jurat enim Imperator se velle defendere doctrinam Ecclesiæ Romanæ, sedem Romanam, ejusque inflessorem Pontificem § 1. *Capitulat.* Quæ omnia juri divino contraria esse apud nos certum est. Quo super præstitum juramentum ipso jure nullum esse *part. pr tit. 5 § 1.* dictum: Sed parata responsio. Nimirùm omnem Juramenti vim æstimandam esse ex mente illorum, quibus juratur, inter quos plurimi Romano-Catholici sunt, qui religionem illam pro verâ sanctâque; Papam verò pro legitimo Ecclesiæ Christianæ Romanæ Capite agnoscunt & colunt. Et quanquam etiam verè credentes sub iis sint, nimirùm Electores Protestantes, no-

randa tamen benè est rursus illorum protestatio *ex* § 1. *in fin ibi:* Gleichwohl so viel diesen. quâ ipsâ Imperatorem ad defensionem Pontificis minimè adstrictum cupiunt. Quod latiùs exequitur *Dn. Fichig. d. l. Semidec 6. Qu 3.* ubi quoque alias invenies rationes quibus hoc ipsum defendi potest.

§ 7 Præstatur hoc juramentum actu corporali *§ penult. ibi:* Inmassen wir denn einen leiblichen Eydt/ de quo suprà *p. 1. tit. 6.* Ex hoc autem *§ penult.* obiter notari potest fundamentum pro decisione illius assertionis, quam tenuimus suprà *p. 1. tit 10. § ult.* formulam illam: Bey Christlichen *&c.* Trewen und Glauben/ non habere vim Juramenti. Imperator enim bey seinen Königlichen Ehren und Würden promittit, & nihilominùs juramento hanc suam promissionem confirmat, quo nihil opus fuisset, si formula illa Juramenti vim habuisset.

§ 8. Præstito hoc juramento Imperator administrationem recipit. Non denegamus quidem ipsi Electioni omnem Effectum, sed dicimus eum ita conditionatum esse, ut, nisi in proposita capita juraverit Electus, irritum omne futurum sit, quod egerunt in eligendo Septemviri *Dn. Carpz. ad L. R. cap 1. f 9. num 5.* Administrare autem debet eo modo, qui præscriptus ipsi est in Capitulatione, de quo prolixiùs agere disputationis hujus pagellæ non sinunt.

§ 9. Nihil magis huic Juramento contrariatur, quam si Imperator contrà hanc capitulationem aliquid egerit. Ubi quæritur, An vi istius Conventionis resistere ipsi Electores possint? Et nota quidem Exempla sunt Henrici IV. Adolphi Nassoviensis, Wenceslai, Imperatorum, eam ob caussam solio Imperatorio dejectorum; Ipsam autem Controversiæ decisionem cum *Dn. Carpzov. d. l. cap. 14 f 6. num. 28* mihi non sumo, sed remitto ad eos, qui potestatem eligendi habent. Argumenta verò in utramque partem invenies apud *Dn Carpzov. d. l. cap. 14. per tot.* adi etiam *Dn. Fieb g. d. l Semidec 7 Qu. 2.*

§ 10. Affinia huic Juramento sunt maximè Statuum aliorumque immediatorum & mediatorum Dominorum juramenta, quibus id ipsum statibus suis promittunt, quod Imperator toti Imperio, de quâ observantiâ testatur. Ritter *de Homag. 9. 119.*

Quanquam nonnulli non jurent, sed tantùm Bey ihren Fürstlichen oder Gräfflichen Trewen promittant, quod de Rege Bohemiæ & Duce Brunsvicensi testatur Ritter *d.l.Ꝫ.117.* 2. Juramenta Magistratuum, de quibus reperiuntur textus *Nov. 8.cap.7. Nov.17. cap.1.* 3. Juramenta Tutorum, nam & hi potestatem habent, *arg. § 2. J. de Tutel* (licet enim parva componere magnis) quibus secundum tenorem *Constit.Polit.Carol V. & Rudolphi II,Rubr.* Von den Papillen vnd Minderjährigen, promittere tenentur, quod suo pupillo ejusque facultatibus fideliter præesse, nec quicquam sine decreto Magistratûs alienare velint.

TIT. II.

DE JURAMENTO SUBJECTIONIS.

Hoc Juramentum ita appellatur quod illi, qui hoc Juramentum præstant, eo ipso fiant Subjecti aut Subditi eorū quibus jurant, ut infrà dicetur. Vocatur aliàs etiam Juram. Assecurationis *Wesenb. ϖ. de Jurejur. n.5.* Homagium fidelitatis subditītiū *à Knicb. 3. Encycl.n.*10. frequentius Homagium *à Dd.Gail.de Arrest c.7. num.*10. *Rosentb. cap 6. Concl.35. num.7. Vult. de Feud lib.1. cap 6. n 5* Quanquam diffitendum non sit esse subtilem Differentiam inter hoc Juramentum & Homagium, quod hoc, etiam Juramento non interveniente præstari possit, prout probat Ritter *d. Homag.Ꝫ.24 & seq.* exemplo fidelitatis, quæ etiam absque juramento potest promitti, *cap.3. § fin. in fin.F.2.*

§ 1. Est Juramentum, quo quis territorii Domino fidelitatem promittit & Obedientiam. Quod ultimum verbum hoc Juramentum differre facit maximè à juramentis, de quibus infrà § ult.

§ 2. Dd. communiter hoc Juramentum dividunt in Reale & Personale, Ritter *d.l. Ꝫ.39.* Hoc præstatur ratione personæ

&

& bonorum simul, illud verò ratione bonorum tantùm; cujus divisionis effectus maximè apparet circa onera; ad personalia enim minimè obligatur ille, qui Reale Juramentum solum præstitit *argum. l. 17. § 5. ad municip.* & ea, quæ ab iis præstantur, munera possessionis tantùm appellantur, *l. fin. § 2. ff. de muner. & honor.* 2. dividunt in determinatum & indeterminatum, in gemässichte und ungemässichte Huldigung. Ita Civitas Brunsvvicensis determinatè jurat subjectionem Duci Brunsvvicensi, referente Ritter *d. l. Ꝋ. 43.* 3. Determinatum subdividunt in illud quod obligationem vel ad certum tempus restringit, quale Homagium est quod præstatur Tutoribus Domini aut pignoris detentori; vel eandem obligationem inchoatâ certo tempore, quale juramentum illud est, quod præstant subditi, illi, qui cum Domino ipsorum jus confraternitatis inivit, & vocatur Homagium Eventuale; vel denique, quod aliâ conditione limitatum est, utpotè: Si prius Privilegia eorum confirmaverit, Ritter *d. l. Ꝋ. 44. & seqq.*

§ 3. Dependet verò Jus Homagium exigendi à superioritate territoriali, sicut econtra à Subjectione præstatio ejusdem. Ritter *d. l. Ꝋ. 48.*

§ 4. Ex § *prac.* constare potest, quinam hoc juramentum exigere possint, & qui itidê illud ipsum præstare teneâtur. Exigunt omnes, qui superioritatem territorialem habent, inter quos primus est Imperator, qui cum superioritatem in omnes Imperii Provincias obtineat per notissima, optimo quoque jure homagium poterit exigere. 2. Status Imperii; Hi enim licet superiorem agnoscant, superioritatem tamen (à quâ hoc jus dependet) in suæ Provinciæ homines habent æquè ac Imperator in totum Imperium, vi illius Regulæ, quâ dicitur, quod Status Imperii tantum in suis territoriis possint, quantum Imperator in toto: quam regulam post multos alios tradit explicatque Reinking *de R. Sec. & Eccl. lib. 1. cl. 5. cap. 6. per tot.* Nec interest, an Status isti immediati sint an mediati. Sic etiam ex horum classe non excludimus Civitates Imperiales, quibus denegare superioritatem territorialem cum secundum *Bl. inst. de Schismat. in pr.* esset negare mundum, etiam jus exigendi Homagii ipsis concedendum

dendum erit. 3. Immediati, qui Statûs non sunt, quales Nobiles in Franconiâ, Sueviâ & ad tractum Rheni, quos in Recessibus Imperii, die freyen von Adel / die freye Ritterschafft / welche ohne Mittel dem Kayser vnd Reich vnterworffen/ appellari videmus, R. I. de An. 555. § Vnd in solchem Fried. n. Hi enim quanquam Statûs non sint, quod latè probat *Nold de Stat. Nobil. §. 149. & seq.* superioritatem tamen territorialem quoad castra sua habent æquè ac Statûs *Gail. 2 Obs. 62. num. 3.* 4. Mediati, sive Principes sint, sive Comites aut Barones, modò superioritatem territorialem habeant. per doctrinam *Cluten in Syllog. rer. quot. Concl. 26. lit. H.* Quibus accenset Civitates Municipales, quibus Superioritas territorialis concessa est, Ritter *d. l. §. 84.* quæ per Consules & Senatum à novellis civibus Homagium exigunt. Et hi sunt, qui Homagium exigere possunt. Si verò contingat, Dominum decedere pluribus relictis filiis, cui præstandum Homagium erit? Distinctè respondent Dd. Aut enim in illo Ducatu jus primogenituræ viget, ut in Electoratibus Secularibus *tit. 7. A. B.* & tum primogenito tantùm præstandum erit, quia ille Dominus tantùm fit, superioritatemque adipiscitur; Aut pariter succeditur, ut hodiè in Germano Imperio in plerisque Ducatibus, teste *Thom. Michaël de Jdt. Concl. 133.* Ubi de Consuetudine hodiernâ natu majori filio communi tamen nomine omnium; aut si omnes præstò sunt, omnibus tanquam uni præstatur; nisi fratres territoria diviserint. ubi quilibet à suis subditis hoc exigit. Ritter *d. l. §. 85.* Quid si infrà pubertatis annos defuncti Domini liberi sint, cui tùm præstandum erit Homagium? Tutoribus illud præstitum esse aliquot Exemplis demonstrat, Ritter *d. l. §. 98.* Quod juramentum Tutori jurantem non obligat ulteriùs, quàm ad legitimam Dominorum ætatem, ubi Tutores relaxare solent subditos à præstito juramento. Cui Quæstioni lux accedit exindè, quod Dominus non obstrictus sit in propriâ personâ homagium excipere, sed hoc per Commissarium potest expedire ex *gen. c. qui facit, de R. J. in 6.* & ita superioribus annis Ferdinandus II. laudatissimæ memoriæ per Serenissimum & Potentissimum Saxoniæ Electorem hodiernum à Statibus Silesiacis homagium recepit. Nunc etiam videndum qui Homagium præstare tenean-

neantur. Et cõstat ex § *anteced.* omnes Subjectos, & quidem præcipuè illos, qui ratione personæ bonorumq; subjecti sunt & Subditi vocãtur ad id esse obligatos. Nec ulla hic tenẽda distinctio, an Illustres, Nobiles aut Plebeji sint, simul n. ac aliquis potestati alterius subjectus est, tenetur quoq; ad præstãdam obedientiam, quæ hodiè mediante hoc juramento promittitur. De Clericis quid habendum? Jus Canonicum ipsis hoc Juramentum interdicit *cap. 6 X. de Majorib. & Obed.* & passim. Quia vero hoc in passu Jus Canonicum expresè refragatur Divino, ut patet ex *Epist. ad Tit. cap. 3. Actor. 25. v. 11. 1. Petr. 2. v. 17.* Ideò contrarium rectius observatur, exemplaque Clericorum homagia præstantium vide apud Rittern *d. l. §. 109.* 2. Qui ratione rerum Subjecti tantùm sunt. Et licèt multi contrarium velint, scilicet quod hi juramentum subjectionis haut præstent, refutantur tamen contrariâ consuetudine, de quâ testatur *Gail de arrest. cap. 7. num. 5.* & *post eum* Ritter *d. l. §. 101.* Ubi plurima Exempla invenies, quod tamen de reali homagio intelligendum tantùm. Hic quærendum: An etiã hoc Juramẽtum per Procuratorem præstari possit? Affirmant plurimi, ideò quod & Juramentum fidelitatis præstari potest per eundem, quemadmodum dicetur *ult. seq.* verior tamen usuque receptior contraria opinio, ut videre est apud *Knich Encyclop. num. 111.* ideò quod subditus majorem debeat observantiam Domino ac Vasallus.

§ 5. Præstatur autem vel ratione personarum, vel etiam rerum, secundum ea, quæ suprà § 2. & 4. dicta sunt.

§ 6. Quomodo præstandum Homagium sit nihil certi determinari potest. Variant enim formulæ secundùm Usum curiarum, ut videre est ex formulis, quas congessit Ritter *d. l. §. 126. & seqq.* Jurandum itaque erit eo modo, quo consuevit fieri illic loci ubi Homagium præstari debet, nec subditi novis conditionibus onerandi, *cap. 5. X. de Excess. Prælat.* Notandæ tamen quædam solennitates sunt & requisita necessaria. 1. Ut justo tempore præstetur. 2. Ut fiat consueto loco, qui regulariter est Curia Domini, *Masver. in Pract. tit. 26. num. 15.* nisi speciali privilegio subditi alio in loco jurare possint, ita Silesiaci Subditi nullo

lo alio loco, quàm Vratislaviæ jurare coguntur. *Schickfus* in der Schlesischen Chronick / *libro tertio. capite vigesi. tertio. pagina* ... 3. Præstatur vel genibus flexis, vel capitio elevato, unter dem freyen Himmel / vel manibus junctis intra manus Domini, vel alio quopiam modo, quem Stylus loci introduxit. 4. Interdùm præstatur collectivè, quandò universus populus in publico congregatur; vel separatim, quandò vel ordo Equestris, vel Civitates Municipales, vel etiam quandò singuli jurant. De quibus solennitatibus Ritter *d.l. §.115.125.*

§ 7. Præstatur hoc Juramentum in Assecurationem Principis, ut nimirùm metu perjurii subditi Obedientiam præstent, nec seditione, conspiratione, aliisq; machinationibus publicam turbent pacem, neve Domini conditionem ullâ ratione deteriorem reddant.

§ 8. Præter generalem Juramenti effectum, hoc operatur subjectionem, *Gail.de Arrest.cap.7.num.10.* De ipsius Subjectionis effectib. videri possunt illi qui de Subjectione, Superioritate territoriali, aut etiam Jurisdictione scripserunt, è quibus plurima huic Juramento immediatè appropriavit, Ritter *d.l.§.137. & multis seqq.*

§ 9. Contrariatur præstationi hujus Juramenti Privilegium vel Pactum, cujus vi quis mediante juramento Homagium præstare non tenetur, de quo immunitatis jure aliquid dictum suprà *pr.h.t.* & Exemplum refert *Knich.in Encycl.cap.3.num.101.* in civitate Hamburgensi, quæ Regi Daniæ Homagium jurato non præstat. 2. Recusatio, quando illud subditi præstare nolunt, & tùm, si supremus Dominus est, potest iis imponere, ut bona vendant emigrentq;. *Modest.Pistor. Qu.68.num.2.p.2.* vel arrestare eorum res & personas, *Gail. de Arrest. cap.10.* vel etiam armis eos cogere exemplo Davidis *2.Samuel.18.19.20.* Si verò inferior est, tùm habet remedia judiciaria; potest enim impetrare mandata pœnalia, vel ab aulâ Imperatoris, vel etiam à Camerâ, quod præjudiciis confirmat Ritter *d.l.§.215.* item potest agere adversus eos ex *L.14.& 20.C.de Agric.& Censit.* item habet interdicta per Dd. allegat. à Ritter *d.l.§.216.* Quanquam ipsis reme-

dia extrajudicialia, de quibus superiore Casu, exceptis armis, non videntur deneganda.

§ 10. Maximam cognationem cum hoc Juramento habent 1. Juramentum Confœderationis, & magis illud quod à Dd. Imparis Juris vocatur, quando inferior dignitate & opibus fœdus init cum potentiori, quo casu ille hujus Majestatem comiter observare tenetur; in eo verò quod Paris Juris dicitur, & ab iis contrahitur, qui æqualis dignitatis & potentiæ sunt, utraque pars ad similia obligatur. Vid. *Vict. de Exempt. Imper. Concl. 21.* 2. Juramentum protectionis. Quæ protectio quatenus permissa in Imperio sit vid. R. A. *d. an. 1555.* § Es sol auch, quod promittunt die Schutz- und Schirms-Verwandten dem Schutz- oder Schirms-Herren. *Gail. 2. Obs. 54. num. 1. 2. 3.* Differt tamen quod isti, Advocato suo reverentiam tantùm promittant, non verò Obedientiam, ut Subditi *War. ab Erenberg. de fœder. lib. 1. cap. 4. n. 1.* 3. Juramentum fidelitatis, de quo *Tit. seq.*

TIT. III.

DE JURAMENTO FIDELITATIS.

Hujus Juramenti Appellatio desumta est à formâ feudi totius: Fidelitate nimirùm, quæ salvo jure feudi remitti non potest *c. un. 2. F. 3* *Magnif. Dn. Ordinarius, Mæcenas & Præceptor meus sanctè colendus, Epit. Feudal. Disput. 5. §. 7.* licet Juramentum, quo mediante fidelitas promittitur, omitti possit *per d. c. sub fin.* & ita Vasallos in Silesiâ Juramentum hoc non præstare, testis est omni exceptione major *Dn. Nicol Henel. in Silesiograph p. 77.*

§ 1. Est autem Juramentum, quo Vasallus promittit Domino fidelitatem.

§ 2. Hujus Juramenti tot possint proponi divisiones, quot ipsius Feudi; quarum tâm ingens numerus, ut Judicio *Magnif. Dn. Ordin. d. l. Disp. 2. §. 1.* ille qui omnes in ordinem redigere vo-

sit, hoc sine maximâ totius rei confusione facere non possit. Insigniores verò ibidem vide.

§ 3. Constituit hoc Juramentum in Domino jus superioritatis Vasallitiæ, in Vasallo verò Subjectio, quæ duo per proximam Caussam, Investituram nimirùm, hoc Juramentum producunt *arg. c. un. 2 F. 4.*

§ 4. Ex præcedenti § jam apparent personæ, quibus, & à quibus fidelitas juramento interponi debeat. Præstatur nimirùm Domino *arg Rubr. & c. un. 2 F 5.* Quid verò si plures Domini sint? Posthabitis variis distinctionibus, de quibus videri potest Rosenthal *cap. 6. Concl. 58.* statuimus cum *Magnif. Dn. Ordin. d. l. Disp. 5 & 8.* propter textuum rotunditatem. Aut Feudum Domini pro indiviso habent; & tum nullum tenetur Vasallus præstare Juramentum *c. un. 102. F 2.* ubi etiam ratio; aut pro diviso, ubi uni ex illis *c. un. 2. F. 77.* Potest etiam recipi hoc Juramentum per Procuratorem, argumento ducto ab investiturâ ad Juramentum fidelitatis, de quâ investiturâ ex *c. un. § 1 vers. sed utram 2. F 3.* apparet, quod per Procuratorem fieri possit. Præstant verò hoc Juramentum Vasalli *arg. § 3. supr.* nec excipitur fœmina *c un § 1. 2. F. 3.* quod etiam Jure Canonico permissum fœminis Regularibus *c. un. vers. Verum quando: de Stat. Regul. in 6.* nec illi remittitur qui legitimum ætatis annum nondum complevit, modò 14. annis major sit *c unic § præterea 2 F 55.* sicut nec illis qui superiores sunt ratione dignitatis ipsis Dominis *c. un: 2. F. 100.* ita ut Imperator feudum amittat si hoc præstare recuset *d. c.* & de usu Germaniæ testatur *Magnif. Dn Ordin. d. l. & 9.* Clericus etiam præstare hoc juramentum cogitur *c un vers. Verum. de Stat. Regul. in 6. c. 30. X de Jurejur.* Ecclesia tamen immunis est *c. un. 2. F. 102.* Quid autem si Vasallus decedat pluribus relictis successoribus? Et tùm si Privilegio, divisione aut aliâ ratione ad certum ex iis pertineat feudum, ille quoque præstabit tantùm *c. un. § 4. vers. omnes filii 2 F. 26.* qui textus licet de eo casu tantum conceptus sit, quando divisione ad unum pervenit feudum, ob identitatem tamen rationis cum Rosenthal *cap. 6. Concl. 26. num. 3. & ibi gl.* idem statuendum videtur, quando Privilegio aut alio modo certus succedit. Quando verò omnes succedunt, tùm sivè divisim, sivè indivi-

sim illud teneant, omnes jurare debent *c. un. §. 1. 2 F. 55. ibi: sive divisim, sive indivisim.* textûs qui huic opinioni obstare videtur *in c. un. 2. F. 77.* intelligi potest de unâ fidelitate respectu Feudi, de quo præstatur, non respectu personarum, quæ præstant. Sicut eo casu quando stipulanti plures promittunt, una tantum nascitur Obligatio *arg tt J. de duob. rei st. pul.* & ita quoque de Jure Saxonico omnes Vasalli, etiamsi simultaneè investiti tantùm sunt, jurare tenentur. *N. A p. 2. C. 45.* Quemadmodum autem per Procuratorem ritè recipitur hoc juramentum, per ea quæ anteà dicta sunt, ita etiam rectè præstatur, *per c. un. § 1 vers. Sed verum. 2. F. 3.* etiamsi Dominus dissentiat, modò speciale mandatum ad hoc exhibeat Procurator, *Magnif. Dn. Ordin. d l. § 12.* Quod nec jure Saxonico aliter observari asserit *Rauchb. p. 1. Qu. 8. n. ult.*

§ 5. Præstari debet in omni feudo *c. un. 2. F. 3.* ubi excipitur tantùm Feudum illud, quod eo pacto acquisitum est, ut sine juramento fidelitatis habeatur. Quæ Exceptio cum confirmet regulam in casibus non exceptis, refutat illos qui dicunt in Feudo Franco aut Modico hoc Juramentum non præstari.

§ 6. Quæ ad formam hujus Juramenti requiruntur exhibet textus *in c. un. 6. & 7. F. 2.* Formulas verò tàm in aulâ Cæsaris quàm Saxonico foro usitatas vide apud *Magnif. Dn. Ordin. d. l. § 18. & 19.* Præter ritûs de quibus suprà in parte generali nulli speciales apparent.

§ 7. Operatur hoc Juramentum præcisam Obligationem tàm ex personâ Domini quàm Vasalli *c. un in fin. 2. F 6. c. un. § 1. 2. F. 33.* Ad quid autem Vasallus Domino, & hic vicissim illi sit obstrictus ex effectu totius feudi cognoscendum est.

§ 8. Contraria huic Juramento sunt 1. Recusatio præstationis. Cum enim sine fidelitate feudum subsistere non possit, ut dictum *pr. h. t.* consequens erit eum feudum quoque habere non posse qui hoc juramentum præstare recusat. 2. Felonia delictum, quo adversus ea quæ Juramento promisit aliquid perpetrat Vasallus, quo casu feudum amittit *tt. 2. F. 26. & t. 1. 2. F. 42.*

§ 9. Convenit hoc Juramentum maximè cum Juramento domesticitatis de quo *in c. un. 2. F. 5.* quod germanicè prout patet ex § 51. *Capit. hodierni Imperat.* die Dienstpflicht appellatur

& præstaturâ familiaribus Principum respectu officii, etiamsi nulla feuda à Dominis recognoscant; quo ipso etiam à nostro Juramento differt.

TIT. IV.
DE JURAMENTO JUDICIS.

Sedes hujus Juramenti est *in l.14. pr. C. de judiciis* quod ita appellatur, quia Judex illud præstat.

§ 1. Et est Juramentum, quo Judex promittit, se justè judicaturum.

§. 2. Cautum erat hoc ipsum jam antiquis LL. ut patet ex *d.l.14 pr. ibiq; Goth. L. X.* desuetudine verò rursus abrogatum, donec illud Justinianus reduceret. Quo facto hodiè tàm necessarium putant, *Mynf. 2. Obf. 76. Moller. Semestr. 10. num.* ut nec statuto aut consuetudine abrogari possit. Propinqua autem causa est Constitutio ipsius Judicis quoquo modo fiat.

§ 3. Jurare verò debent omnes judices, sivè ordinarii, sivè delegati, sivè etiam arbitri tantùm sint constituti, *d.l. pr. v. omnes Judices.* Ita etiam Judex Cameræ hoc Juramentum præstare tenetur, *p.1. Ord. Cam. tit. 57.* Dubium autem est inter Interpp. an etiam pares Curiæ? Quod comm. negant teste *Ummi. 9. ad proc. ef. num. 6. per text. 2. F. 16. in fin. & 2 F. 55.* & de consuetudine docet *Mynsing. 4. Obf. 89. num. 9.* Wesenbecius verò contrarium tenet *Consil. 9 num. 4. & seqq.* sæpissimèque ita pronunciatum esse refert. Inter has Dd. contentiones optimum erit consuetudinem loci attendere.

§ 4. Olim in omnibus præstandum erat causis *d. l. 14 pr.* hodiè verò sufficit si ab initio suscepti officii fiat. *Schneidw. ad J. de Satisd. num. 5 Setser 3 de Juram. 3. n. 2*

§. 5. Jurare verò debet, sese cum Veritate & Legum observatione judicium esse observaturum. *d.l. 14 pr.* Jure verò noviori: quod habetur *Auth Hodie d. t.* se facturum quod ipsi justius & æquius visum fuerit, idque propter Casus Legibus non decisos.

§. 6.

§ 6. Obligatur hoc Juramento Judex ad observandum ea omnia, quæ vel acta inter partes sunt, vel statuto aut jure scripto non scriptoque sunt decisa. *arg. l. 34. de R. J.*

§ 7. Quod si autem contra jus æquitatemq; protulerit sententiam, non tantùm subjacebit pœnis, quæ suprà in parte primà in perjuros protulimus, sed etiam specialem cogitur sustinere de quâ *in pr. J. de Oblig. quæ quasi ex delicto*: quod nimirùm litem suam faciat. Quod tamen intelligendum est, quando dolo, vel per gratiam, inimicitiam aut sordes hoc facit, ubi ad veram litis æstimationem illi qui ejus Sententiâ condemnatus est, tenetur, *l. 5. ff. de Judic.* insuperque infamiâ notatur *l. ult. C. de pœn. judic. qui mal. judic.* & de Jure Canonico si Ecclesiasticus Judex fuerit, ad annum removetur ab Officio *c. 1 de Sent. & Re Jud. in 6.* Quandò verò per imprudentiam malè judicavit, tùm videndum iterùm, an hoc fecerit Consilio suo, an Assessoris. Hoc casu non tenetur *arg. l. 2. ff. Quod quisq. jur.*: illo verò tenetur actione in factum & in quantum æquum videbitur religioni judicantis. *l. ult. ff. de extraord. cognit.*

§ 8. Magnam convenientiam habent cum hoc juramento Juramenta illorum, qui assumuntur in causarum & controversiarum definitionibus, ut secundum artis peritiam proprium judicium explicent, ut Medici, Architecti, Calculatores rationum, agrorum finiumque Inspectores, Obstetrices. Differunt tamen quod isti omnes de credulitate tantùm jurent *Setser. 3 de Juram. 3. n. 4.* 2. Juramentum Assessorum, de quo *p. 1. Ord. Cam. t. 57.* cujus idem effectus ac Juramenti Judicis.

TIT. V.
DE JURAMENTO CALUMNIÆ.

Vocatur hoc Juramentum Calumniæ respectu finis, cui introductum est, sc. vitandæ, vel secundum *Rubr. C. h. t. de jurejurando* propter calumniam, scilicet vitandam. Aliàs variè accipitur Calumniæ vocabulum, prout videre est apud *Wesenb. in. C. h. t. num. 1.* Germanis **Eydt für gefehrde.**

§ 1. Est juramentum quo utraque pars litigans promittit se caussam bonâ fide proposuisse & prosequi velle. Quæ Definitio ex *Setser 3. de Juram. 3. num. 3.* desumta est, additâ tamen particulâ PROPOSUISSE, quâ Setseri definitio videbatur indigere. Non enim satis est partes jurare se bonâ fide litem prosequi velle, sed insuper requiritur, ut jurent se credere quod bona fide ad litigandum accesserint, *arg l. 2. C. h. t. vers. Et actor quidem*. Alias Definitiones refert *Setser* easq; examinat *ibid.*

§ 2. Dividitur in Generale & Speciale. *Berlich. p. 1. Concl. 31. num. 3. ibidémq; alleg.* Generale est quod ab initio & semel tantùm præstatur nihil calumniæ causâ factitatum iri, de quo potissimùm in *l. 2. C. h. t.* Speciale quod non semel tantùm sed quoties Judici æquum visum fuerit præstandum erat *l. 1. C. h. t.* secus jure novo, quo sufficit si generale juramentum ab initio præstitum fuerit *Auth. Hoc Sacram. C. h. t. Dn. Carpzov.* tamen *in Jurispr. For. p. 1 Const. 12. defin. 2. num. 6. & 7.* recenset casus in quibus adhuc hodiè speciale juramentum exigitur. Jure Saxonico inversa res est & generale abolitum *gl. Landrecht. lib. 33. art 88. Berlich. loc. alleg. num. 4.* ubi allegat Henning Godem gl. incusantem. Cujus tamen opinio non tantùm contrariâ consuetudine sed etiam expressâ sanctione refutata *tit 32. Nov. Ord Jud.* Speciale verò retinetur adhuc *per text. & Dd. alleg.*

§. 3. Variè Dd. de Origine hujus Juramenti sentiunt. Allegati ab *Harp ad pr. J. de pœn. temer. litig.* Juri divino adscribunt *p. vers. u. Exod. 22.* qui tamen textus melius de Juramento purgationis intelligitur. Alii Justiniano *per l. 1. C. h. t.* Alii hoc jus ab Atheniensibus mutuo accepisse Romanos asserunt per ea quæ habet *Wesenb. ar. C. h. t. num. 5.* ejusdemq; vestigia ex *Cic. pro Rosc. Plin. 5. Epist. ult.* & jure Digestorum *l. 44. § 4. ff. famil. hercisc. l. 34. § 4. de jurejur* producit *Setser. 3. de Juram. 2. num. 1.* Quæ opinio verior videtur. Justiniano tamen relinqui gloria hæc potest quoad specialem informationem *arg l. 1. § omnium. C. de V. I. E. Wesenbec. loc. alleg* Proxima verò caussa hujus juramenti est petitio partis *arg. l. 34. § 4. ff. de jurejur.* Quod quoad speciale hoc Juramentum indistinctè verum, *de quo alleg. l.* exaudienda. Generale verò licet à parte petitum non fuerit exigendum tamen à

judice

judice est de Jure Civili *l.2. § 4.C.h.t.* ubi etiam ratio. De jure Canonico verò secus est, quo nisi petatur, judex exigere non tenetur *c.1.h.t. in 6. W. senb. ar. C.h.t.n.5.*

§ 4. Præstat hoc juramentum uterq; tam Actor quàm Reus, *l.2. pr. sub fin. C. h.t.* Quod de generali duntaxat exaudiendum, ſpeciale enim præstat tantùm ille, qui *ex. gr.* probationes exposuit *l.1. C. h.t.* Nec interest an personæ singulares sint an Universitates *c. 4. & ult. X.h.t.* quæ de receptissimâ consuetudine jurant per Seniores, aut alios quibus res notissima est, *l.2. § 5. sub fin. C. h.t. N. A. p.2. Const.15.* Ratio in *l.97. ff. de Condit. & demonstrat.* Jurare quoque coguntur, qui alieno nomine sunt in judicio, ut Procurator *cap.6 X. h.t. Ord.Cam. p.1. t.15.* ubi nihilominus ipsi principales jurare coguntur *l. 2. § 3. C. h.t.* & licet Domini ipsi jam juraverunt & posteà per Procuratorem agere volunt, Procurator nihilominus jurare cogitur *cap. 1. X. h.t. in 6.* Ita etiam Pater quando causam filii agit *arg. l.2. § 2. C.h.t.* Tutores & Curatores *l. 2. § 1. h.t.* quo casu illæ personæ, pro quibus agunt, non jurabunt *d.l.* Immunes verò ab hoc onere sunt, 1. Imperator per Rationes & Autores allegatos ab *Hilleg. i4 C. 3. M.* & cum Imperatoris causam agat ejus Fiscalis eodem jure censebitur, licet multi dissentiant per rationes quas vide apud *Harpr. d. l.* maximè cum nobis patrocinetur Observantia Cameræ, de quâ testatur *Gail. 1. Observ.90.num.4. Mynsing.1.Obs.74.* 2. Jure Veteri Clerici, etiam erant exemti per general. *l.25. § 1. C.de Episc. & Cler. & cap.1 X.h.t.* quod tamen mutatum posteà est *cap.5. cap.ult. X.eod.* 3. Pater & Patronus *l. 16. in fin. ff. de Jurejur.* diversum verò statuunt Dd. in filio & Liberto, ratione in his cessante *Harpr. d.l. num.55.* 4. Dominus & Vasallus *c. un. § 1. 2. F.33.* An verò hoc Juramentum per Procuratorem quoque præstari poterit? Quod de Clericis communiter affirmatur *cap.3. & ult. X.h.t.* Sed & generalis textus est *in l. 13. § 13. ff. de damn. infect.* & de observantiâ tradit *Gail. 1. Observ. 83. num. 2.* modò speciale mandatum habeat *d. c. ult.* & in animam Domini juret *Gail d.l.* Jure tamen Saxonico secus est per text. *in Landr. lib. 1. art. 46.* cujus generalitas & ad hoc Juramentum extenditur *in N.O. J.t.18. Berlich. p.1. Concl.31. n.19.*

§ 5.

§ 5. Præstari autem debet in omnibus Causis. Nec refert an magna an parva, an ordinaria, delegata aut compromissaria sit. *l.2.§4. C.b.t.* In summariis etiam *Clement 2.de V S. Setser 3. de Juram.4.num.4 & seqq.* Item in secunda instantia *cap 2 h. t. in 6.* & in revisionis judicio *R. I. Deput. de An.1600.* § Und oder nicht bitte bey) Quid de criminalibus? ita per *cap.1 X. b. t. & § si quis. 5. Feod* ad dissentientium fundamenta respondet *Umm. 12. ad Process. num.44.* Quanquam ab eodem Ummio, quo ad reum ob metum perjurii dissentiamus cum *Bach. ad Tr.1.21,4.A.* In Causis Spiritualibus licet olim haud fuerit juratum *cap.2. X. b. t.* hodiè tamen secus est *cap 1.§fin. b.t. in 6. Setser.3.de Juram 4 n 15.* Ubi exponit quid in causis Matrimonialibus in his Consistoriis soleat practicari. Excipiuntur Causæ 1. Imperatoris & Principum per ea quæ tradit *Hillig 14 cap.13. M. 2.* Causæ notoriæ quæ nulla indigent probatione *Setser.3.de Juram.4. n.36.*

§ 6. Capitula quæ ad intrinsecam formam hujus Juramenti requiruntur, hæc à Dd. traduntur. 1. Ut Actor juret: *se non calumniandi animo hanc litem movisse;* Reus verò: *quod credat se bona instantiâ uti l. 2. pr. C b.t.* 2. Uterque: *quod non Causâ differendi Judicii dilationes proponere velint, l.1.C.b.t. 3. Quod interrogati in jure verum fateri velint, gl. in cap.1. b.t. in 6. 4 Quod nemini patrocinii causâ aliquid daturi aut promissuri sint nisi illis jura permittunt. Auth Principales C.b.t.* Quæ Capitula conjunctim proponit *Ord.Cam p.1.t.65.* eaque Vultej Pater duobus inclusit distichis, quæ vide apud *Setser 3 de Juram.5.num.10.* Porrò ad formam requiritur, ut justo tempore & loco hoc juramentum præstetur & postuletur. Tempus quod attinet, debet generale Juramentum post litem contestatam præstari *l.2.pr.C.b.t.* & semel tantùm *Auth. in isto Juramento C.b.t.* Speciale verò iam ante litis contestationem *l.1.C.b.t. c.fin. X. b. t.* puta super oppositâ exceptione dilatoriâ; quam post eam, super novis emergentibus, per ea quæ habet *Umm. 12. ad Process. num 47.* imò etiam post conclusionem in Causâ, per doctrinam *Gail 1. Obs. 84. n. 6.* & multorum allegatorum à *Setser.3 de Juram.6.num.6.* Locus. Debet præstari apud acta coram judice. *l.2.pr. C.b.t.* Excipiuntur

tur tamen personæ nonnullæ, quæ in Judicio jurare haud coguntur, ut Mulieres honestæ, *Auth.Principales* § 3. *C. h.t.* 2. Personæ egregiæ *l.* 15 *ff. de Jurejur.* Quæ tamen in Curiis Electoralibus Saxonicis, nicht zwar in den Rahts- sondern Audientzstuben/ jurant *N.O.t.t.*18 § *fin* 3. ægroti vel lecto affixi *l.* 15. *ff. de jurejur. Umm.*12. *ad Proceß. num.*48

§ 6. Cui bono introductum hoc Juramentum sit innuit breviter *l. 1. C. h.t.* ut nim. hujus Sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compescatur. Plura vide apud *Wesenb. ar. C. h.t. n.10. & Setser.3.de Juram.* 1.

§. 7. Duo hoc Juramentum operari communiter tradunt Dd. 1. Quod Calumniæ suspicionem cessare faciat, quod tamen limitari rursus volunt, nisi evidenter jurantem calumniatum esse appareat, quo casu non tantum generalem perjurii pœnam locum habere posse, sed insuper calumniæ judicium in perjurum dari tradunt allegati ab *Umm.12.ad Proceß.num.50.* 2 Quod jurans à refusione expensarum liberetur, quas aliàs victus victori præstare tenetur, quod tamen minimè admittendum per doctrinam *Harpr. ad pr.I.de pœn.tem litig.n* 92. *Umm.d.l.n.*51.

§ 8. Contrariatur huic Juramento 1. Recusatio, ob quam Actor causâ cadit, Reus verò condemnatur *Auth. Princip. C h. t.* ad quod tamen Judicis sententia necessaria est *d.Auth.& l 2. § 6. & 7. C.h.t.* & ita in Camerâ observari testatur *Gail. 1. Obs. 86. n. 1. Setser.3. de Juram.8 num.3.* 2. Perjurium circà hoc juramentum commissum, cujus pœnam ex parte generali pete. 3. Remissio litigantium, quæ de Jure Civili nec expressè nec tacitè potest fieri *l.2. § 4.C.h.t.* de jure verò Canonico tacitè potest *cap.1. §.1. h.t.in 6.* Sicut speciali juramenti remissio de utroque jure concessa *arg. l.34.§ 4. ff. de Jurejur. ibi: Si hoc exigatur. Setser.3. de Juram.2. num.*13. 4. Consuetudo vel Statutum contrarium, quo hoc Juramentum abrogari posse patet ex Jure Saxonico, & ita ad consultationem Senatûs Rostochiensis pronunciatum esse testatur *Rauchb.r.p.1. Qu 9. num.6.*

§ 9. Magnam cum hoc juramento convenientiam habent 1. Juramentum Veritatis, cujus mentio *in pr. cap. 1. § 2. de Ju-*

 ram.

ram. calumn. in 6. quod præprimis in Causis Spiritualibus olim obtinuisse patet ex *all. g. § 2. cap. 1. de Juram. Calumn. in 6.* 2. Juramentum Malitiæ *cap. 2. § ult. d. tit. in 6. & N.O. I. t* 33. de quo pluribus videri potest: *Berlich. part. 1. Concl. 57. per tot.* 3. Juramentum Advocatorum, de quo in *l. 14. § 1. C. de Judic.* quod tenentur præstare postquam à principalibus Juramentum Calumniæ præstitum est. Hodiè plerumque advocati Ordinarii, semel tantùm jurare solent, nimirùm sub. init. suscepti officii, quemadmodum quoad judicia Provincialia Saxonica constat ex *Ordin. Judic Provinc. tit.* Vom Eyde der Advocaten. 4. Juramentum Testium, quod testes, priusquam ad testificationem admittuntur, præstant, de Veritate ad articulos interrogatorios dicendâ; & quidem omnes *l. 18. C. de testibus cap. 51. X. eod.* nisi remissum à parte sit *cap. 39. X de testibus.* ejusque formulam usitatam vide apud *Seifer. 3. de Juram. 9. n. 19.*

TIT. VI.
DE JURAMENTO PURGATIONIS.

Appellatum hoc Juramentum etiam à fine est, siquidem ideò præstatur, ut ille contrà quem præsumtiones militant sese purget mediante eo. Vocatur aliàs Purgatio Canonica *arg. t. t. X. de Purgat. Can.*

§ 1. Est Juramentum quo reus purgandi causâ jurat rem se ita non habere.

§ 2. Inventum introductumque hoc Juramentum est Jure Canonico *t. t. X. de purgat. Canon.* approbatumque *Ordinat. Cam. p. 2. tit. 10.* & ab Augusto Elect. Saxon. *p. 1. Const. 22.* Quæ v. Causa huic deferendo sufficiens & justa sit non potest certò tradi, ideò cum *Dn. Carpz. in J. F. p. 1. C. 22. defin. 1.* discretioni judicis committitur rectè, quando hoc medium ad eruendam veritatem tutum existimat. Non autem juramento huic locus esse potest, quando crimen vel notorium est, vel indicia ad torturam sufficientia adsunt, vel etiam quando pro Reo similes militant præsumtiones *Berlich. p. 1. Concl. 52. n. 5. 6.*

§ 3.

§ 3 Defertur à judice ex officio etiamsi à parte petitum non est *c. ult. X. h. t. d. N. A. p. 1. C. 22.* etiam accusatore nō extante ut in processu inquisitionis *cap. 10. X. eod. Ord. Cam. d. l.* § Es sollen vnd mögen *Gail. 1. de P. P. cap. 7. num. 2.* & quidem tantùm reo *arg. t. t. & d. Const. 22. p. 1. ibi.* dem Beklagten / nec tantùm singulis sed etiam universitatibus *Ordin. C. m. d. l.* § Würde aber eine *Commun.* Ubi dispositum, quod duæ tertiæ Senatûs loco illius jurare debeant; nec viri tantùm sed & fœminæ licet Clericalis conditionis sint hoc juramentum præstare coguntur *cap. 3. X. h. t.* Insuper etiam illi qui Principalibus Personis Consilio aut auxilio affuerunt *Ordin. Cam. d. l. pr.* Interdum quoque alii cum reo ipso jurare debent, se credere reum innocentem esse, qui compurgatores appellantur *cap. 5. sub fin. cap. 7. c. ult. sub fin. X. h. t. Ordin. Cam. d. l.* § 1. *sub fin.* quorum numerus judicis arbitrio relinquitur *Ordin. Cam. d. l. Gail. 2. de Pac. Publ. 2. in fin.* Qui tamen mos per Compurgatores jurandi de jure Saxonico non observatur prout testatur *Wesenb. alleg. à Setser. 3. de Juram. 11. n. 34.*

§ 4. Præstatur hoc Juramentum non tantum in Causis Criminalibus & matrimonialibus per notoria, sed etiam Civilibus *Setser. 3. de Juram. 11. n. 26.* quam opinionem probavit etiam *August. N. p. 1. Const. 22.* Feudalibus *Heig. p. 1. Qu. 40. n. 45.* Actione injuriarum *Berlich. d. l. n. 20.*

§ 5. Cum nihil certi in jure dispositum reperiatur, quâ formâ juramentum hoc præstari debeat, standum erit delationi Judicis, siquidem alias regulariter juxta formam delatam juramenta præstanda, de quo suprà *part. 1. ex l. 3. § ult. ff. de Jurejur.* Requisita verò necessaria ad hoc juramentum notari possunt hæc. 1. Ut Reus legitimè citetur. *Ord. Cam. d. l.* § 1. *post pr.* 2. Ut citationi articuli suspicionis inserantur. *d. l. Gail. 1 Observ. 54. num. 5.* Ut reus interim ab Officio suspendatur *cap. 10. X. hoc tit.* 4. Ut ipse juret, non per procuratorem, nec referat illud actori *c. ult. X. de Jurejur. Berlich. part. 1. Concl. 32. num. 45.* & quidem coram judice citante *cap 6. X. h. t.* non tamen in publico examine sed secreto *cap. 1. Caus. 15. Qu. 5.* quod tamen consuetudine harum potissimum regionum usque adeò non observatur. Potest etiam

Judex mittere Commissarios coràm quibus reus domi suæ vel alibi juret. *Ordin Camer.d.l.* § Wo aber ein Churfürst/*&c.*§ Wo aber der jenige.

§ 6. Hoc juramento præstito reus est absolvendus & in pristinum statum restituendus *cap 8.in fin cap.10. §.Purgatione.X.b.t.* non tantùm quoad ipsam causam & actionem principalem, sed etiam quoad expensas & alia accidentia. *Heigius part. 1. Qu. 40. num.*38. Potest etiam insuper post præstitum juramentum injuriarum convenire actorem. *Ordin.Camer. d.l.* § *ult. Gail.2.de P. P.2. num. ult.*

§ 7. Adversatur huic juramento, quod ad purgandum citatus possit ad probationes confugere *Ordin. Camer. d. l,* § Würde sich aber *& gen. N.Aug.p.1. Const.14* laté *Berlich part.1.Concl 52. num. 29. & seqq.* 2. Contumacia quam committit vel prorsus non comparendo, vel præstare juramentum recusando, ubi pro confesso habetur *Ord. Cam. d. l.* § *2.* quod tamen evitare potest si suam innocentiam probare velit. *Ordin.Cam.d.l.* per rationes quas vide apud *Berlicb. d.l.num.43.* 3. Quod etiam præstito hoc juramento contrarium probari possit. *Ordin.Cam.* § Und so ersolche. & tùm si fuerit convictus non tantùm ratione criminis sed & perjurii punitur. *Setser.3.de Jurum. 11. num 44.* 4. Appellatio *cap.6. X.b.t.*

§ 8. Consimilis huic Juramento est purgatio vulgaris, de quâ *t.t. X.de vulgari purgatione.* 2. Juramentum necessarium: de quo *tit.seq.*

TIT. VII.
DE JURAMENTO NECESSARIO.

Dictum hoc Juramentum necessarium est tùm respectu causæ quod illa aliter expediri non potest. *l. 3. C. de R.C.* tum quod præstandum necessariò ab illo sit cui delatùm *c.fin.X.b.t. Beust.ad l.admonendi b,t.num 159.* Undè refutari possunt *Cujac.* & ipsius asseclæ, qui hoc juramentum

tum judiciale vocant, Necessarium verò, quod ille cui delatum est referre non potest. In isto enim unum tantum requisitum occurrit nostri Juramenti, non vero ambo. *Umm.14. ad Process. num. 68.* Vocatur interdum etiam juramentum Suppletorium. *Umm. d.l.*

§ 1. Est juramentum quod propter inopiam probationis à judice defertur parti intentionis suæ probandæ causâ. *Umm d.l. num.69.*

§ 2. Species agnoscimus nullas, licet *Br. in l. 1 num. ult. h.t.* huc referat Purgationis, item Juramentum in litem. *Beust.* verò ad *Rubr. h t. n.126.* Juramentum Testium. *Zasius in Rubr. hoc tit. num. ult.* Juramentum calumniæ. Apparet tamen facilè ex Definitione propositâ, quod ista Juramenta huc non quadrent.

§ 3. Imponendum hoc juramentum est, quando lis dubia, quod tùm fit quando semiplenè probatum est. *l 3. C. h. t. junct. c. ult. X. h. t. N. Aug. p. 1. Const. 23. ibi:* die halbe Beweisung. Dissentit *Donell. post alios lib. 24. C. 11. F.* cujus argumentis respondet *Umm. d.l. num. 87 & Hillig. ad Don. in not. ibid.* Donelli verò ipsiusq; asseclarum expositio, quod tùm res dubia sit, quando ab utrâque parte æqualiter probatum est, confutatur *cap. 3. § fin. X. de Probat. Hillig. d.l. L. Q. & Umm. d.l. num. 88.*

§ 4. Defertur à Judice *l. 31. ff. & l. 3. C. h. t.* quovis sivè ordinario sivè delegato sivè Arbitro *Berlich. d. l. num. 7. & seq.* nec illud ipsius arbitrio relictum est sed cogitur *l. 3. C. h. t. Sesser. 4. de Juram. 12. num. 7.* etiamsi à parte haud fuerit petitum. *Umm. d. l. num. 72.* quod confirmavit Augustus, *part. 1. Const. 23.* Et quidem Parti. Cui verò an Actori an Reo? quod judicis arbitrio relinquitur *c. ult. X. h t. & N. O. I. t. 30.* quem per distinctos casûs informat *Berlich. p. 1. Concl. 53. num. 15. & seqq.* Excipiunt tamen Dd. nonnullos quibus omninò hoc Juramentum deferri non potest, ut 1. Infantes & perjuros, hi enim cum prorsus à juramentis arceantur (excepto Juramento oneris ut calumniæ & homagii *Sesser. 4. de Juram. 12. num. 30.*) non admittendi quoque ad hoc juramentum sunt. Quibus annumerant quoque Judæos, in Came-

stà tamen Judæum hoc juramentum præstitisse testis est. *Mynf.* *Obs 6. Umm. d. l. num. 76.* 2. Qui veritatem rei ignorant, *gl. in l. 3. C. b. t.* per rationes ab *Umm. d. l. num 78.* allegatas. Unde heredi aut procuratori deferri facile non debet, nisi exactam habeant rei cognitionem. *Setser. d. l. n. 8.* 3. Referunt hoc nonnulli stipendiarios per *l. 2. § fin ff. de his qui notantur infam.* Sed meritò ab iis recessit *Beust ad l admonendi b. t. num. 200 & seqq.* ideò quod textus iste loquatur de iis qui quæstûs causâ cum bestiis pugnant, non verò de militibus quorum functio honesta est.

§ 5. Præstatur in omnibus causis regulariter cum ex permissis hoc juramentum fit. Exceptæ tamen sunt 1. Criminales *arg. l. ult. C. de Probat.* Cujus generalitas cum in omnibus obtineat, illi procul dubio erit standum rejectis distinctionibus, quarum multas affert *Facb. 1. C. 15.* 2. Civiles, quæ magni ponderis sunt. *Setser 4. de Juram, 13. num. 1. & seqq.* Hinc cum matrimonialis ardua dicatur Causa *c. ult. de Procur. in 6.* huic juramento in illa locus non erit, nisi pro matrimonio & plusquam semiplene sit probatum *Dd allegat. à Setser. 4. de Juram. 12. n. 12.*

§ 6. Nihil speciale in Legibus invenitur ex quo cognosci possit quomodo jurandum sit, ideò etiam hîc non aliâ conditione poterit præstari, quam quâ delatum est. Requisita verò necessaria sunt, ut legitimo tempore petatur. De quo tempore tradit *Gail. 1 Obs. 108. num. 1.* quod usque ad conclusionem in causâ peti possit. An etiam post eam? Negativa verior *arg. c. 9. X. de fid. instrum.* dissent. *Setser. 4. de Juram. 15. n 4.* Quanquam Judex ex officio etiam post conclusionem deferre illud possit *Dn. Carpzov. part. 1. J. F. Const. 23. def 9. n. 1.* Sicut etiam post terminum probatorium rite petitur à parte. *D. Carpzov. p. 1. J. F. Constit. 23. def. 9. num. 4. Diff. Berlich. p. 1. Concl. 53. num. 62.* 2. ut hoc necessariò præstetur, nisi Judex revocaverit illud, quod potest facere, si videat perjurium commissum iri. *Umm. d. l. n. 95.*

§ 7. Cui bono hoc Juramentum introductum sit potest cognosci ex *l. 3. C. b. t. & l. 31. ff eod.*

§ 8. Præstito juramento ab Actore, Reus condemnandus. Reus verò si juraverit absolvendus ipse est. *arg. c. ult. X. b. t.* An

verò

verò hæc Sententia transeat in rem judicatam quæritur? Negat *Beust. ad l. admonendi b.t. num. 33.* ideò, quod hæc Sententia possit retractari *d. l. admonendi ff. b. t.* quæ retractatio contrà rem judicatam locum non habet. *l. 4. C. de re jud.* Contraria opinio verior videtur, cum etiam fatentibus dissentientibus hîc nascatur actio: quæ non potest competere, nisi postquam Sententia transivit in rem judicatam; non enim prius ad executionem deveniri potest, quàm postquam Sententia in rem judicatam transiverit. *l. 15. & tot. tit. ff de re judic.* Illud quo movetur *Beust* & cum eo sentientes verum est, quando Sententia ex legitimis probationibus lata est, non verò quando privilegiatis probationibus Sententia obtinetur *Wesenb. ad ff. b. t. num. 5.* Dictum jam est nasci ex hoc jurejurando actionem, cujus occasione quæritur, an judicati sit an verò jurisjurandi actio? Allegati ab *Umm. d. l. num. 97.* Jurisjurandi esse dicunt per § 11. *J. de action.* Contraria & hîc verior videtur, siquidem Judex non ex solo Juramento, sed etiam probationibus Sententiam fert: Et allegatus textus loquitur tantùm de Juramento voluntario & judiciali *Umm. d. l. num 98.*

§ 10. Adversatur huic Juramento, quod ob instrumenta noviter reperta potest retractari. *l. 31. ff b. t.* quæ Retractatio fieri potest citrà præviam restitutionem in integrum à Judice expediendam, cum jam ab ipsâ lege facta sit. *argum. l. 25. ff. de dol. mal.* Instrumenta autem noviter reperta esse debent, non verò post Juramentum demùm confecta: & quidem sola, non testes. *Donell. 24. C. 19.* 2. Appellatio *l. ult. § 1. de appellat. Umm. d. l. num ult.*

TIT. VIII.
DE JURAMENTO VOLUNTARIO.

Dicitur hoc Juramentum Voluntarium, quia ex merâ Voluntate partium proficiscitur, nec ulla hîc Judicis aut alterius requiruntur partes. *Donell. 24. C. ult. B. ibid. Hilligs.*

§ 1. Est Juramentum quod Pars Parti extrà judicium defert litis finiendæ causâ. *arg. l 17. pr. h. t.*

§ 2. Habet hoc juramentum omnem vim & autoritatem ex Conventione partium *l. 39. h. t.* quæ efficit illud delatione *l. 3. pr. h. t.* & receptione.

§ 3. Deferunt illud rectè omnes sivè Creditores sint, sive debitores, *l. 3. pr. h. t. l. 30. pr. & § 1. eod.* modò non sint exclusi, ut 1. infantes, quia non habent judicium. 2. ex identitate rationis pupilli, si tamen illud detulerint, & juratum est, valet quidem sed replicatione eliditur *d. l. 17. § 1. h. t.* autoritate verò Tutoris rectè deferunt *l. 17. § 1. h. t.* 3. Prodigus *l. 35. § 1. h. t.* 4. Furiosus qui ne quidem Curatore Autore defert. *l. 5. ff. de reg. jur.* 5. Minor ex Dd. opinione, quem tamen indistinctè deferre posse verius videtur. Si verò fuerit læsus potest restitui in integrum *l. 9. § 4. h. t.* 6. Tutores & Curatores, quandò aliæ probationes suppetunt *l. 35. pr. ff. h. t.* 7. Procuratores *l. 18. & seq. h. t.* nisi speciale mandatum ad hoc habeant, aut in rem suam sint, aut omnium bonorum *l. 17. § ult. ff. h. t.* Ita etiam Curatores ad litem Mulieribus Iure Saxonico dati, quemadmodum juxtà Consilium suum Dresdæ conclusum fuisse refert *Teuber. in suis QQ. Qu. 8.* 8. Conjunctus pro conjuncto per tradita à *Setser. 4 de Juram. 2. num. 36.* 9. Servi, nisi peculii administrationem habeant *l. 20. h. t.* Deferri potest omnibus qui ex conventione sibi vel alii actionem aut exceptionem acquirere possunt. *Umm. d. l. num. 17.* Etiam Pupillo *l. 26. pr. ff. h. t.* Etiam Servo in Causâ peculiari *l. 25. h. t.* Excipiuntur tamen illi qui rei scientiam non habent, ut Procurator *l. 34. § 3. h. t.* Et heres *l. 11. pr. C. h. t. l. 42. ff. de reg. jur.* qui tamen si delatum sit defuncto de Credulitate jurare potest. *N. Aug. p. 1. C. 24.*

§ 4. Locum habet hoc Juramentum in omnibus actionibus, quod latè explicat JCtus ipse in *l. 3. § 1. & seqq. h. t.* De popularibus expressus textus est in *l. 30. § 3. h. t.* & de illis in quibus inficiando lis crescit *l. 30. pr. ff. h. t.* Ubi tamen Actione juratoriâ simplum tantùm consequitur ille qui juravit *l. 30. pr. ff. h. t.* In Causis matrimonialibus hoc Juramentum pro, non contrà

matri-

matrimonium adhiberi poteſt, prout tradunt Dd apud *Seſer.4. de Jumm. num.7.* Cauſas quoq; feudales hoc juramento componi poſſe apparet ex *cap.un.1.F.4.c.un.1.F.10.* & paſſim.

§ 5. Præter generalem formam nec hic Speciale aliquid occurrit. Illud notandum, quod ſuſceptum hoc jusjurandum ſemel neceſſariò præſtandum ſit, nec ſufficiat Voluntas jurantis, ſi morte vel caſu aliquo ipſum factum fuerit interceptum. *l.3.h.t. Donell.24. C.13. A. ibiq; Hillig.* Deferendum verò extrà judicium eſt, ubi etiam præſtandum. *l.17.pr.h.t.* quo ipſo differt à juramento judiciali.

§ 6. Cui bono introductum hoc juramentum ſit apparet ex *l.1.ff. h.t. & Epiſt. ad Hebr. cap.6. v 16.*

§ 7. Habet hoc Juramentum eandem vim & autoritatem ac Sententia lata, immò majorem *l.2.l.9.§1.h.t.* & quæ beneficia judicatis dantur in *l.21.ff. de judic.* eadem quoq; hic competunt; latè *Donell.24.C.17.S. ibiq; Hillig.* Reus ex hoc jurejurando acquirit exceptionem *l.9.§1.h.tit.* Non enim ipſo jure liberatus eſt, ſed demùm ope exceptionis § 4. *I.de Except. Umm.8. ad Proceß.num.34.* Diſſentit *Don.24.C.15.A.* Actor verò actionem *d.l.9.§1.h.t.§11.I.de Action.* Ita tamen ut vetus actio adhuc ſuperſit *l.25.§1.de pecun.conſt.l.30.pr.h.t. Umm.14. ad proc. num.31.*

§ 8. Adverſatur huic Juramento 1. Recuſatio quæ antè ſuſceptum juramentum licita *argum.l.17.pr.h.t.* pòſt non item; quia Conventiones ab initio Voluntatis, poſteà verò neceſſitatis. 2. Revocatio *l.11.C.h.t.* quæ ſemper fieri poteſt, ſivè hoc Juramentum purè, ſivè ad diem fuerit delatum, modò res adhuc integra ſit *argum.N.O.l.tit.18. §* Ob man gleich. 3. Retractatio ob perjurium in caſibus permiſſis, ut 1. quando ita conventum *l.1.C.h.t.* 2. ſi adverſarius rurſus juraverit *l.28.§ult.h.t.* 3. in Cauſâ Legati aut fideicommiſſi *l.ult.C.h.t.* Extrà

§ 9. Coincidit cum hoc juramento in effectu per omnia Remissio de quâ in *l. 6. ff. h. tit.* quandò nimirùm deferens juramentum acceptanti illud, remittit, de quo vide *l. 9. § 1. ff. l. 8 C. h. tit.*

TIT. IX.

DE JURAMENTO JUDICIALI.

Huic Juramento (quod Judiciale appellatur quia sicut praecedens extrà judicium defertur & praestatur, ita hoc in judicio) maxima Convenientia est cum priori, prout docet *Umm. 14. ad Process. num 35.*

§ 1. Estque Juramentum à parte Parti in Judicio delatum, Judice delationem approbante. *Beust. ad Rubr. h. t. n. 38.*

§ 2. Sicut autem illud parti à parte defertur licet nihil probatum fuerit, ita & hoc *l. 35. pr. h. tit. N. O. I. t. 18. pr. Berlich. p. 1. Concl. 29. num. 4. & seqq.* Hoc tamen speciale hic habet quod judicis approbatio accedere debet, *l. 12. § 1. C. h. t. ibiq. Goth. L. H. Wesenb. in ff. h. t. num 9.*

§ 3. Quibus personis, illud & à quibus deferri potest, iisdem, & ab iisdem & hoc. Excipiuntur tamen personae quae personam standi in judicio non habent, quia hoc juramentum tantùm deferri potest in judicio: ut Pupillus *l. 34. § 3. hoc tit.* Servus *l. 6. C. de judic.* nisi in causâ peculiari juraverit, *l. 20. c. 25. ff. h. t.*

§ 4. In quibus actionibus illud Juramentum locum habet in iisdem & hoc.

§ 5. Notandum quod hoc Juramentum tantùm deferri possit in judicio ibidemque praestari *l. 12. in fin. pr. C. h. tit.* & quidem parte praesente, quae à judice ad audiendum hoc Juramentum citanda *l. 12. § 4. C. h. t.* & tùm si pars emanserit per contumaciam, rectè juratur etsi praesens non sit *d. l. 12. § 4. vers. Licentia.* de jure vero Saxonico si deferens contumaciter emanserit aut jura-

Juramentum calumniæ præstare recusaverit tùm in pœnam ipsius contumaciæ habetur ac si Juramentum principale esset præstitum, *N.A.p.1. C.12.§ ultim.* Exceptæ personæ sunt, quæ 42. etiam extrà judicium jurare possunt, de quibus suprà *tit.5.* § 5. *sub fin.* quæ coram judice vel ejus Commissario domi suæ jurare possunt, *arg. Auth. Si Judex C. de Episc & Cler* Sicut etiam alterius Jurisdictionis Subjecti, qui coràm judice illius loci jurare debent. *d.l.12.* § *4. C.h.t.* Porrò notandum tempus quò hoc Juramentum deferri & præstari debeat. Et quidem jure communi neque delationi neque præstationi certum tempus præstitutum est, ideò tàm antè quàm post sententiam latam præstari poterit. *Umm.d.l.num.61.Berlich. p.1.Concl.30. num.2.* Jure verò Saxonico ante guarandam præstitam deferendum *N. August. p.1.C.11.* non verò pòst, licet deferendi facultas expresè reservata sit. *N.O.I. c.18.pr* quod tamen Secus in reo esse, quem etiam post guarandam præstitam hoc facere posse, tradit *Wesenb. in ff.h.tit. num.9.* prout etiam expresè probatur *N.O. I.* § Da aber der Beklagte *tit.*18. præstandum verò intrà 6. Septimanas & tres dies *N. Aug.p.* 1. *C.11.* secus tamen in supremis Judiciis, in quibus ad proximum terminum præstandum *Berlich.p.1.Concl.30.n.6.*

§ 6. Finis idem ac superioris.

§ 7. Idem hoc Juramentum operatur quod superius, eandemque actionem & exceptionem *l.8.ff. h.tit. junct. l.17.pr. eod. Umm.d.l.num.63.*

§ 8. Adversantur etiam huic Juramento eadem quæ superiori, paulò tamen aliter. 1. Recusatio quæ tamen non indistinctè permissa sed tantum ob justam causam qualis à parte deferente, si de calumniâ jurare noluerit. *l.* 34. § 4. *ff. h. t.* (quo casu prorsus pro remittente habetur *l.37.* § *eod.*) modò non sit referens *l.*34. § 7. *h tit.* sicut etiam ab illo cui defertur rectè recusatur, si jam semel deferens illud revocaverit *l.* 11. *C. h. tit.* A parte autem recipiente hæc recusationis causa justa, si intentio-

ſuprà. 3 Appellatio l. 12. § 2. C. b. t. 4. Relatio l. 4. § ult. b. t. l. 34. § 7. eod. 5. Retractatio, ut in ſuperiori.

§ 9. Habet in hoc Juramento locum Remiſſio, ut ſuprà.

TIT. X.

DE JURAMENTO IN LITEM.

Hoc Juramentum, in Litem appellatur ideò, quod eo res in Judicium deducta æſtimetur, per Metonymiam continentis, per Litem, rem in Litem deductam intelligendo *Don 26. C. 6. A.* textûs in quibus vocabulum Lis eâdem ſignificatione uſurpatur, vide apud *Setſer 5. de Juram. 2. num 12.* Hinc rectè notatur Azo à *Setſer. 5. de Juram. 1. num 11.* qui hoc Juramentum in Litem vocari ideò voluit, quod in judicio præſtandum, aliàs enim & Juramentum Calumniæ & Judiciale ita vocari deberent.

§ 1. Eſt Juramentum quo res in judicium deducta æſtimatur. *Umm. 20. ad proceſſ. 2.*

§ 2. Dividitur à Dd. in Affectionis & Veritatis. Affectionis dicunt, quo res ultrà verum rei precium etiam in infinitum poteſt æſtimari: In veritatis cõtrà non aliter niſi quanti res eſt. *l. 8. ff. b. t.* & licet termini iſti in Jure non reperiantur, res tamen omninò appparet, ita, ut hæc juramenta non ſaltem modo æſtimandi differant, prout dictum, ſed etiam animo illius adverſus quem jurari debet, prout *§ ſeq.* dicetur. Illorum verò opiniones qui vel triplex vel ſimplex tantùm faciunt examinat *Setſer. 5. de Juram. 2. per tot.*

§ 3. Producit hoc Juramentum, Affectionis quidem à parte Actoris jus quod in re ſuâ habet Affectione conjunctum. *l. 8. ff. b. t.* à parte verò rei Recuſatio reſtitutionis doloſa. *l. 5. § 3 b. t.* vel etiam ex latâ culpâ deſcendens *l. 2. b. t. Donell. 26. C 9 C.* Ubi diſſentientes habebis. Juramentum autem Veritatis producit idem

idem Jus Actoris in re petitâ ergâ quam tamen nullam habet affectionem *l. 2. § 1. ff. h. t.* à parte Rei recusatio restitutionis, quæ ob culpam fit *l. 68. de R. V.* vel etiam ejusdem rei culposa deterioratio. *l. 5. § ult. h. t. Don. 26. C. 10.*

§ 4. Defertur Juramentum Affectionis à judice tantum *l. 4 § 1. h. t.* quod tamen in arbitrio ipsius positum esse apparet ex *l. 4. § 2. h. t.* Non autem cogitur, quod vult *Setser. 5. de Juram. 3. num. 6.* cujus argumenta hoc tantùm evincunt, quod tùm quando res ampliùs non extat hoc Jusjurandum necessariò requiratur; non verò quando adhuc extat, Reus autem restitutionem dolosè recusat, quo casû m. nu militari ipsi eripienda est. *l. 68. de R. V. Umm. 2 ad Proc. num. 4.* Juramentum verò Veritatis etiam à parte potest deferri per tradita ab *Umm 20. ad Process. 31.* Utrumque defertur illi tantùm qui Litis Dominus est, litemq; suo nomine est contestatus *l. 7. h. tit.* Hinc excipimus Procuratorem, Pupillum, ejusque Matrem. *l. 4. pr. h. t.* Notandum tamen est personas nonnullas hoc Juramentum præstare posse si voluerint, qualis Adolescens *l. 4. pr. sub fin. h. t.* Tutor & Curator *d. l. 4. pr.* quibus etiam rectè annumerat *Setser. 5. de Jurament. 4. num. 19.* Matrem liberorum suorum Tutelam administrantem. Heres ex doctrinâ *Gailii 2. Obs. 34. num. 1. cum seq.*

§ 5. In quibus actionibus huic Juramento locus sit exponit Marcianus in *l. 5. h. t.* Ubi tradit, posse in litem, (quod secundùm nostram divisionem est ex Affectione) jurari, 1. in Actionibus Realibus exempla habemus in *l. 68 de R. V. l. 25. § 10. de petit. hered. l. 7. in fin. Si Serv. vind.* Plura apud *Setser. 5. de Juram. 5. n. 9. & seq.* 2. In Actione ad exhibendum *l. 5. pr. h. tit.* non tantùm si occasione Dominii exhibitio petatur, quod voluit *Anton. Faber.* Sed semper *argum. l. 3. § 1 & 2 ff. ad exhib. Donell. 26. C. 8. E.* 3. In bonæ fidei Judiciis, sivè in iis ad restituendam nostram rem agamus, ut in deposito, & commodato, sive ad dominium nobis tradendum, ut in actione emti venditi *arg. l. 5. pr. h. t.* exceptæ sunt stricti juris actiones *l. 6. ff. h. tit.* in quibus tamen Juramentum

§ 6. In Juramento Affectionis potest jurari ultra verum rei precium etiam in infinitum. *l. 4. § 2. b. tit.* nisi Judex certam præstituerit quantitatem. *d l. 4. § 2. h. t.* In Juramento veritatis usque ad veram rei æstimationem. *l. 68. de R. V. l. 2. l. 5.* Interesse quoque computando *l. 10. b. t.*

§ 7. Finis potest cognosci ex *l. 3. & 4. b. t.*

§ 8. Præstito hoc Juramento Judex condemnare reum debet in eam summam, quæ juramento æstimata est. *l. 68.* quanquam etiam absolvere reum, vel minoris condemnare eundem possit. *l. 5. § 2 b. t.* nimirùm ex magnâ causâ & posteà repertis probationibus. *l. 4. § 3. ff. b. t.*

§ 9. Obstat huic Juramento quæstio de Perjurio. *l. ult.* 2. Appellatio. *l. ult. § 1. de Appellat. Tr. 1. 21. 13. sub fin.*

§ 10. Consimile huic Juramento est Juramentum Minorationis de quo *tit. seq.* Ita ut *Zobel. in gl. artic. 47 B. lib. 3.* hoc cum illo unum idemque esse voluerit, quæ tamen differre constabit ex iis, quæ jam dicemus.

TIT. XI.

DE JURAMENTO MINORATIONIS.

Dictum ita est à fine, introductumque Jure Saxonico, Civili verò incognitum prorsus. *Dn. Carpzov. l. 1. part. 1. C. 23. defin. 15.*

§ 1. Est Juramentum quo Reus ob vim illatam conventus damnum ab Actore æstimatum minuit. *Rauchbar. part. 1.* *num. 1.*

§ 2. Defert hoc Juramentum Judex, non ex officio sed ad partis instantiam per ea quæ habet *Rauchbar. d. l. num 43.*

§ 3. Defertur autem Reo, & quidem illi tantùm, non verò ei quoque qui ex ejus violentiâ obligatus est. Landr. *lib. 3. art.* *in med. & art. 51. in fin. Berlich. Decis. aur. 88. num. 40.* Nec heredi etiam

etiam si reus lite pendente moriatur, ideò quod suprà *tit. praced.* §4. *sub fin.* dictum, nec heredem juramentum in litem præstare obstrictum esse, nisi voluerit. Reus autem hoc Juramentum suscipere tenetur, licet notitiam damnorum actori datorum non habeat, nisi in summam ab actore æstimatam condemnari velit. Landr. *lib. 3. art. 47. & 51. N O. I tit. 31.* aut ad probandum, damnum non esse tanti, sese offerat *argum N. A p. 1. C. 12.* Cujus textûs decisionem ad hoc juramentum quoq; extendendum esse constat ex iis quæ tradit *Berlich. p. 1. Concl. 33. num 4.* Ubi si in probatione deficiat confugere ad hoc Juramentum potest. *arg. N. A. p. 1. C. 14.*

§ 4. Non in omnibus actionibus locum habere hoc Juramentum apparet satis ex Landr *l. 3. art. 47. & N O. I. tit. 31.* § Dieweil sed tantùm in quibus agitur de violentiâ expulsivâ & ablativâ, ut in actione vi bonorum raptorum Interdictis recuperandæ possessionis, *&c.* An autem etiam in Actione Injuriarum realium personæ illatarum, puta per Incarcerationem injustam, manûs in rixâ amputationem? Ita pronunciatum est ab amplissimâ Facultate Juridica Witebergensi, tradente *Berlich. dec. decis. 88. num. 32. & seqq.* qui etiam eandem opinionem amplectitur. Facultas Lipsiensis contrà respondit, cui adstipulatur *Dn. Carpzov. J. F. c. 1. Const. 23 defin. 17.* Verior tamen æquiorque videtur *Berlichii* opinio, qui ad dissentium fundamenta respondet quoque *p 5. Concl. 06. num. 68.*

§ 5. Præcedere debet hoc Juramentum Taxatio Actoris non ipsius rei ablatæ tantum, verùm etiam damnorum, Contra *Hart. Pist.* qui *lib. 1. Qu. 16. num. 2.* quoad damna dissentit, cujus opinio contraria consuetudine non solùm refutata, quemadmodum *Berlich. d. decis 88. num. 20.* ex ipso *Pist.* refert; Sed etiam hodiè expressa Sanctione. *N. O. I. tit. 31. ibi:* Welcher vmb zugefügten Schaden. 2 Præcedere debet petitio Actoris ante litem contestatam vel guarandam præstitam instituenda. *N O I. tit. 31 Ber-*

etiam Taxationem judicis, quos sequitur *Dn. Carpzov.* [illegible] *resp. 56. num. 17.* Negans opinio verior videtur, quam tenet *Rauchbar. d. l. num. 3. & 34*, ut & *Dn. Carpz. J. F. p. 1. C. 23.* [illegible] 4. denique subsequi debet Juramentum ipsum, quo [illegible] Reus potest æstimationem Actoris in quantum voluerit [illegible] *tit. 31.*

§ 6. Finis hujus Juramenti est, ut Judex certior fiat in quantum condemnandus reus sit.

§ 7. Præstito hoc Juramento Reus à judice condemnandus in eam ipsam summam, quam minutione suâ Sacramentali definivit. *d. art. 47. & 51. Sandbr.* nec ulla moderatio Judicis post Juramentum locum habere potest, *Berlich. d. decis. 88. num. 17.*

[illegible]

COROLLARIA.

[illegible] promi[illegible] [illegible]

J[illegible] [illegible] tempus acquisi[illegible]

S. D. G.